**Pharmacopoeia homoeopathica / [Frederic Harvey Foster Quin].**

**Contributors**

Quin, F. F. (Frederic Hervey Foster), 1799-1878.

**Publication/Creation**

Londini : S. Highley, 1834.

**Persistent URL**

https://wellcomecollection.org/works/ru654uqr

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

wellcome collection

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

42608/B

L. XXVII. b

19

45753

# PHARMACOPŒIA

# HOMŒOPATHICA.

EDIDIT

**F. F. QUIN, M. D.**

MEDICUS ORDINARIUS LEOPOLDI PRIMI REGIS BELGARUM,
SOCIETATIS REGIÆ MEDICINÆ EDINENSIS, INSTITUTI
REGII LONDINENSIS, ACADEMIÆ REGIÆ MEDICINÆ,
INSTITUTI REGII NEAPOLIS ET SOCIETATIS
HOMŒOPATHICÆ LIPSIÆ
SOCIUS.

MDCCCXXXIV.

LONDINI:
VENEUNT APUD S. HIGHLEY.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

LONDON:
C. ROWORTH AND SONS, BELL YARD,
TEMPLE BAR.

# LEOPOLDO PRIMO

## BELGARUM REGI,

&c. &c. &c.

ANIMO QUAM HUMILLIMO DEVOTISSIMOQUE,

S. P. D.

FREDERICUS F. QUIN.

Novam et nostratibus adhuc incognitam Pharmacopœiam in lucem edituro, nihil certe felicius mihi evenire potuit, Princeps Illustrissime, quam ut tui nominis patro-

cinio uti liceret. Te enim publicæ utilitatis studiosissimum esse quis dubitabit, qui modo meminerit, te, relictis vitæ placidæ blanditiis, regnum hostibus obnoxium, opibus imminutum, seditionibus vexatum, administrandum suscepisse, quasi imperare posses magis quam velles, nec aliam magis ob causam quam ut totius Europæ pacem conservares ?

Eadem te benevolentia impulit, ut opusculo favere velles quod finem nobilissimum sibi proponit : scilicet, ut, expositis disciplinæ Homœopathicæ fontibus, nova quædam Scientiæ Medicæ subsidia accedant, nova adversus generis humani morbos et miserias remedia comparentur.

LONDINI, MDCCCXXXIV.

# NOMINA

## MEDICORUM ET CHIRURGORUM

QUI

## HOMŒOPATHIAM EXERCENT.

---

Ne quis ignoret quam late longeque diffundatur hæc nova scientia, nomina paucorum Medicorum Homœopathicorum, qui magnam in laudem pervenerunt, æquum videtur perscribere. Nec existimare oportet in animo esse, omnium, qui hanc artem exercent, nomina tradere, sed eorum tantummodo quos aut diu cognovi, aut qui in Diariis variis Homœopathicis scripserint, aut quorum fama ex libris edendis innotuit.

---

Samuel Hahnemann, *Consiliarius Aulicus*, (Coethen).
Achilloides (Thessaly).
Ægidi (Dusseldorf).
Alleon (D'Annonay).
Amman, *Exercitûs Medicus*, (Darmstadt).
Anfossi (Arquata).
Anniballi (Rippattoni).
Apelt, *Legionis Lipsiæ Medicus*, (Leipsic).
Attomyr (Homona, Hungary).

Bakodi (Raab, Hungary).
Baldi, *Exercitús Regis Siciliarum Medicus Primarius.*
Balogh, von, (Pesth).
Barth (Greitz, Saxony).
Bärtl, *Legionis Medicus,* (Moor, Hungary).
Baudis (Hederwar, Hungary).
Baumann (Lahr, Baden).
Baumgärtel ? (Glaucha).
Bayard, *Exercitús Medicus,* (Libourne).
Bayer, *Medicus Primarius Exercitús,* (Œdenburg).
Beels ? (Rotterdam).
Behrens (Wetzlar).
Beister (Lyons).
Belluomini (London).
Bene, von, *Professor et Consiliarius,* (Pesth).
Bernhardti (Altenburg).
Bethmann (Burgk).
Bigel (Petersburg).
Billig (Leisnig).
Blau, *Medicinæ Consiliarius,* (Ichtershausen).
Böhler (Plauen).
Bondini (Civitella del Tronto).
Bonnet (Lyons).
Bonnet (d'Amberieux).
Bonordin, *Medicus Inspector,* (Hernorda).
Borchard (Bordeaux).
Bormann (Grimma).
Brand (Pilsen).
Brandes (Philadelphia).
Braun (Comorre).
Bravais, Sen^r^. (D'Annonay).
Bravais, Jun^r^. (D'Annonay).

Buongiovanni, *Militum Invalidorum Regis Siciliarum Chirurgus.*
Burdach (Triebel).
Bussy, *Professor Chemiæ,* (Paris).
Bute (Philadelphia).
Caravelli (Giulia).
Carrault (Rouen).
Catenat ?, *Chirurgus Nosocomii,* (Bordeaux).
Charriere (Thonon).
Chazal (Lyons).
Chuit ( ? )
Ciccarini (Rome).
Cimone (Naples).
Convers (Vevey).
Crépu, *Artis Botannicæ Professor,* (Grenoble).
Croserio (Paris).
Curie (Paris).
Dapaz (Lausanne).
Davet (Paris).
Denicke (Wittenberg).
Denoix ? (Paris).
Desaix (Lyons).
Dezauche (Paris).
Diehl (Bruchsal).
Dorotea (Villetta, Abruzzi).
Drescher (Leipsic).
Dufresne (Geneva).
Dufresne (Latour, Savoy).
Dunsford, *Chirurgus,* (London).
Duret, Sen$^{r}$. (D'Annonay).
Duret, Jun$^{r}$. (D'Annonay).
Durif (Tullin).
Dutech ( ? ).
Eglau, *Consiliarius Imperii* (Kursk, Russia).

Ehrhardt (Eilenburg).
Enz ( ? , Austria).
Fielitz (Lauban).
Fischer (Frankenstein).
Fischer, *Chirurgus*, (Brünn).
Fitzler, *Medicus Inspector*, (Ilmenau).
Forgo (Pesth).
Franz (Leipsic).
Freitag (Philadelphia).
Gaggi (Ascoli).
Gaspary (Mesewitz).
Gastier, *Nosocomii Medicus*, (Thoissey).
Geiseler, *Medicinæ Consiliarius*, (Dantzic).
Geist (Weimar).
Gerber (Delitzsch).
Gerstel (Brünn).
Giese (Philadelphia).
Girtanner (St. Gallen).
Glasor, *Magni Ducatûs Hessiæ Medicus Inspector*, (Grünberg).
Gottschalch (Leipsic).
Goullon (Weimar).
Grieselich (Carlsruhe).
Gross (Jueterbogk).
Grossi (Naples).
Grüner (Iglau).
Gubitz (Dresden).
Gueyrard (Paris).
Guidi, Des (Lyons).
Guisan (Vevey).
Günther, Doebeln (Saxony).
Gutmann, *Medicus Dentarius*, (Leipsic).
Handt (Plauen).
Hanusch, M., *Chirurgus, M.A.* (Tischnowitz).

Hartlaub (Brunswick).
Hartlaub (Leipsic).
Hartmann, *Nosocomii Homœopathici Lipsiæ Medicus,* (Leipsic).
Hartmann (Arnstadt).
Hartung, *Legionis Medicus,* (Salzburg).
Haubold, *Nosocomii Homœopathici Lipsiæ Inspector,* (Leipsic).
Haugk? (Annaberg).
Hauptmann (Zasmuck).
Haynel (Baltimore).
Hayser, *Legionis Medicus,* (Darmstadt).
Heilmann (Sorar in Saraster).
Hellwig (Dresden).
Helm, *Medicus Inspector,* (Stolz, Pomerania).
Hering (Paramaribo, Surinam).
Herrmann, *Nosocomii Homœopathici Medicus,* (Petersburg).
Herrmann (Sorau).
Herzog (Grimma).
Hesse (Pernau).
Heyder (Dresden).
Heye (Leipsic).
Hille, Jun$^{r}$.? (Freiberg).
Hoffendahl (Mildenitz, Mecklenburg).
Holst von, *Medicus Inspector,* (Dorpat).
Horatiis de, *Professor, Regis et Nosocomii Medicus,* (Naples).
Hornburg, B.M. (Leipsic).
Hromada (Teplitz).
Hunnius (Arnstadt).
Hunnius (Esthland).
Jäckel, *Prior,* (Erlau, Hungary).
Jaenger (Colmar).

Jahr (Neuwied).
Jamm (Lahr).
Ihm (Philadelphia).
Impimbo (Venafro).
Jourdain, *Medicus Primarius Nosocomii,* (Colmar).
Jourdan (Paris).
Ivanyos von, (Comorre).
Kammerer (Schwäbisch Gmünd).
Kammerer (Rothenburg).
Kiesselbach (Hanau).
Kinzel, *Legionis Medicus,* ( ? ).
Kirschleger (Münster).
Kirsten, *Chirurgus,* (Leipsic).
Kleiner (Saratoff).
Kolmar (Comorre).
Körner ( ?, Würtenburg).
Kraft (Roszleben).
Krampla, *Chirurgus,* (Olmütz).
Kretzschmar, (Belzig).
Kuorre, *Medicus Inspector,* (Pernau).
Laffan, Josephus de Courcy, *Baronettus.*
Landeser (Pernau).
Langhammer (Leipsic).
Laraja, *Medicus Nosocomii Militaris,* (Cotrone).
Laurencet (Lyons).
Laville (Lyons).
Lehmann (Cöthen).
Lehmann (Zwickau).
Lehmann, *Chirurgus,* (Dresden).
Lichtenfels von, (Vienna).
Lidbeck, *Med. Licent.* (Upsala).
Liuzzi (Rome).
Lonchamp (Fribourg).
Lorenz (Homburg).

Löscher (Lübben).
Lövi (Prague).
Lund (Copenhagen).
Luther (Nice).
Mabit, *Professor et Medicus Nosocomii,* (Bordeaux).
Mainotti (Travnik, Bosnia).
Malz (Graez, Steuermark).
Manzelli (Venafro).
Marchesani (Naples).
Marenzeller, *Exercitûs Medicus,* (Vienna).
Marthes des, (Bordeaux).
Matlack (Philadelphia).
Mattersdorf (Frankenstein).
Mauro (Naples).
Mayer von, (Lindenthal, Hungary).
Maysginter, *Chirurgus,* (Romredo).
Meierhoff (Bremen).
Meier, *Medicus Inspector* (Schneeberg).
Messerschmidt, *Medicus Inspector,* (Naumburg).
Molin (Luxeuil).
Monnet (Lyons).
Mosdorf (Radeberg).
Mossbauer (Beröcz, Hungary).
Mühlenbein, *Consiliarius Aulicus,* (Brunswick).
Müller, Benj. (Liegnitz).
Müller, Jos. ( ? , Hungary).
Müller, Mor. *Nosocomii Homœopathici Lipsiæ Director,* (Leipsic).
Muret (Morges).
Murray Jacobus, *Eques Auratus,* (Dublin), (Rome).
Mylo (Warsaw).
Nanni (Casteldelmonte, Aquila).

Necker, *Consiliarius Aulicus,* (Lucca).
Nenning, *Chirurgus,* (Hohenfurt, Bohemia).
Niemeier (Tifflis).
Nikolai ? (Zchopau).
Olhant, *Medicus Inspector,* (Würzburg).
Paillon (Bordeaux).
Palmieri (Fabriano).
Panthin (Divonne).
Passavent (Frankfurt).
Peschier (Geneva).
Peterson (Pensa).
Petroz (Paris).
Pezzillo (Naples).
Pictet (Lyons).
Pinget (de La Roche).
Plaubel (Gotha).
Pleyel Von, (Brood).
Pougens (Paris).
Preu (Nürnberg).
Quadri, *Professor et Chirurgus Nosocomii,* (Naples).
Rabatta (Fabriano).
Rapou (Lyons).
Rau, *Consiliarius Aulicus,* (Gieszen).
Reubel, *Consiliarius Aulicus,* (Münich).
Reuter (Nürnberg).
Reymond (Latour du Pin).
Ringseis, *Consiliarius Primarius Medicinæ,* (Münich).
Roch (Chemnitz).
Röhl (Querfurth).
Romani, *Medicus Ordinarius Reginæ,* (Naples).
Roth, *Professor Medicinæ,* (Münich).
Rubini (Teramo).

Rückert (Camenz).
Rückert (Hernhut).
Rummel (Merseburg).
Ruppius, *Consiliarius Aulicus,* (Altenburg).
Sagliocchi (Trentola).
Sannicola, *Inspector Nosocomii Civium et Militum* (Venafro).
Schäfer, von, (Vienna).
Schaller (Prague).
Scheering ( ? , Russia).
Schindler (Greifenberg).
Schmidt, *Legionis Medicus,* (Glatz).
Schmieder (Liegnitz).
Schmit (Vienna) *Medicus Ducis,* (Luca).
Schnieber (Sorau).
Schober (Leisnig).
Schönke (Neukirchen).
Schroeter (Lemberg, Hungary).
Schubart (Arnstadt).
Schubert (Hirschberg, Silesia).
Schubert (Leipsic).
Schueler (Stolberg, Harz).
Schwarze, *Consiliarius Aulicus,* (Dresden).
Schweickert, *Nosocomii Homœopathici Lipsiæ Medicus Primarius et Director,* (Leipsic).
Schweickert, Jul. (Petersburg).
Schyrmeier (Emmendingen, Baden).
Seidel, *Nosocomii Homœopathici Lipsiæ Chirurgus,* (Leipsic). (Upper Lusatia).
Seider (Wischnei-Wolotschok).
Seither (Oppenau, Baden).
Siegel, *Medicus Ducis,* (Carlsruhe).
Siegrist (Basle).
Simon (Paris).

Soderberg (Sixtuna).
Sonnenberg, von, (Brood).
Spohr (Gandersheim).
Stapf, *Medicinæ Consiliarius Ducis de Meiningen,* (Naumburg).
Stegemann, von, *Consiliarius Imperii,* (Carlsruhe).
Stephani (Röthe).
Stratten ? (Dublin).
Stüller, *Medicinæ Consiliarius,* (Berlin).
Suffut (Bethlehem, Pensilvania).
Sundeen (Stockholm).
Szabo, von, ( ? , Hungary).
Talianini (Ascoli).
Taubitz, *Chirurgus,* (Glaubendorf).
Tessier (Turin).
Thorer (Goerlitz).
Tietze, *Chirurgus,* (Ebersbach).
Tournier (Lyons).
Trajanelli (Venafro).
Trinius, *Consiliarius Imperii,* (Petersburg).
Trinks (Dresden).
Trombetti (Naples).
Veith, *M.D. et D.D.,* (Vienna).
Wagner (Altenburg).
Wahle (Leipsic).
Wahlenberg, *Professor,* (Upsala).
Weber, *Consiliarius Aulicus,* (Lich).
Weihe (Hervorden).
Weinseisen (Lofer, Bavaria).
Werber (Freiburg).
Werner (Frankenberg).
Wesselhöft (Pensilvania).
Widnmann, *Medicinæ Consiliarius,* (Münich).

Wilhelmi (Arnstadt).
Wilhelmi (Rinteln).
Winkler, *Medicinæ Consiliarius*, (Altenburg).
Wislicenus (Eisenach).
Wohlleben, *Chirurgus*, (Volkenrode, Gotha).
Wolff, von, (Warsaw).
Wolf (Dresden).
Wolf, *Medicus Inspector*, (Calau).
Wrecka (Vienna).
Zeisig (Eibenstock).
Zimmermann (Petersburg).
Zinkhan (Schlüchtern).

---

Quum hæc nova medicinæ ars ad morbos aliorum præter homines animantium sanandos magna cum vi adhibita sit, nomina paucorum veterinariorum tradimus.

Garnier, *Medicus Veterinarius*, (Thoissey).
Lux, M., *Professor Veterinarius*, (Leipsic).
Sabatini, *Medicus Veterinarius*, (Mosciano).
Schmager, *Medicus Veterinarius*, (Lahr).
Weith, *Academiæ Regiæ Veterinariæ Director*, (Vienna).

FREDERICUS F. QUIN.

LONDINI, MDCCCXXXIV.

# PRÆFATIO.

Nova Medicinæ ars, quæ Homœopathia vocatur, ab Hahnemanno omni doctrinâ et virtute viro ornatissimo initium ducit, animosque omnium, qui medicinam etiam primoribus labris attigerint, tantopere percussit, ut de hoc libello multum disserere prorsus inutile sit. Cum enim nobis satis sit perspectum, Homœopathiam nihil aliud postulare, nisi ut animo candido et recto exploretur, brevique tempore locum præcipuum et auctoritatem magnam inter scientias habituram esse, adducti sumus ut Pharmacopœiam in lucem ederemus, quo facilius medici nostri Medicamenta Homœopathica obtinere et parare queant ; longe enim præstabit si me-

rita hujus novæ medendi artis quisque pro se experiri possit.

Non prius vulgatum hunc remedia parandi modum docuit Hahnemannus in volumine primo libri, sub titulo, "*Reine Arzneimittellehre,*" circa annum 1811 partim editi; medicamenta autem multa subinde, quorum vis in dies altius indaganti innotuerat, aliis quinque voluminibus seriatim editis adjecit. Quædam etiam reperienda sunt in Diario Homœopathico, quod inscriptum est: "*Archiv für die Homœopathische Heilkunst,*" quod in lucem edidit Stapfius. Gasparius autem primo rationes varias medicamenta omnia Homœopathica parandi in uno libro collegit et Lipsiæ edidit (1825): "*Homœopathisches Dispensatorium für Aerzte und Apotheker.*" Latinè Hartmannus editionem alteram dedit (1827), et Germanicè tertiam (1829) quartamque (1832): "*Homœopathische Pharmacopoe für Aerzte und Apotheker.*" Necnon hujus artis studio animum operamque Italia præbuit, et Luccæ (1829) Belluomini

librum supradictum, "*Homœopathisches Dispensatorium,*" traduxit et emendavit sub titulo "*Modo generale di preparare i Medicamenti Omiopatici e di diluirli.*" Eodem quoque anno "*Elementi di Farmacopea Omiopatica, estratti dalla Materia Medica di Hahnemann,*" Neapoli dedit La Raja. In Galliâ Jourdanus Organon Hahnemanni traduxit, eique versionem Gallicam quoque Pharmacopœiæ Homœopathicæ, "*Homœopathische Pharmacopoe,*" adjecit. Ultimam hujus libri editionem (1832) Germanicè scriptam magno labore curavit Hartmannus, multaque, in quibus antea opinio eum fefellerat, adeo mutavit, ut nobis diligentia ejus et doctrina haud parum opis attulerit.

Sed quum hi libri ante plures annos editi sint, scientiaque medicinæ nova remedia, modumque parandi commodiorem, quotidie suppeditet, æquum nobis visum est, in hoc opusculo cuncta medicamenta hactenus comperta perscribere, magnamque diligentiam adhibere ne quid, aut oblivione aut

negligentiâ, quod ad rem maxime pertineat, prætermittamus. Libros quos perscrutati sumus, nominatim prodere satis esse arbitramur. *Reine Arzneimittellehre*, 6 vol. ($3^{tia}$ edit.), et *Die Kronischen Krankheiten*, 4 vol. *von Hahnemann; Archiv für die Homœopathische Heilkunst*, 13 vol. *von Stapf; Reine Arzneimittellehre*, 3 vol., et *Annalen der Homœopathischen Klinik*, 4 vol. *von Hartlaub und Trinks.* Inutile visum est eam descriptionem plantarum aliorumque corporum tradere, quæ in libris, qui ad artem Botanicam et Philosophiam Naturalem spectant, facile inveniri potest. Rationem autem, quâ medicamenta parari et ægroto administrari debeant, per quantum temporis spatium remedia quæque virtutem suam retineant, et quibus antidotis vires eorum perniciosæ compesci possint, diligenter perscripsimus; morbos quidem ipsos, in quibus medicamentum adhibendum est, ostendere noluimus, quum medico perito, atque corporis ægroti habitus secum reputanti, nullius esset utilita-

tis; istos vero, qui medendi artem inconsulte exercent, in suâ imperitiâ retineret. Ad hæc, si medicamentum inaptum adhibeatur, damnum ægroto evenire posset. In nominibus quæ corporibus chemicis et medicis Hahnemannus imposuit, melius visum est nihil mutare; nam si nomina in Pharmacopœis, quæ in Britanniâ eduntur, adhiberemus, error inde oriri posset, quum opera in linguâ Germanicâ scripta aliquis perlegere vellet.

Perpauca medicamentorum, quamvis modus quo corpus sanum plerumque afficiunt, satis bene perspiciatur, tamen, quî infirmi corporis valetudinem tangant, interdum dici non potest. In his igitur medicamentis neque dosis, neque duratio, neque antidota perscripta sunt; modum tamen parandi ostendere melius esse duximus, ut ad usum prompta fiant quum vires eorum medicæ nobis cognitæ fuerint.

Satis scio multa in hoc opusculo criticos esse inventuros quæ a severioribus linguæ Latinæ regulis abhorreant. Iis autem qui

talia nobis sermonis vitia objiciant, verbis Horatii respondemus,

> "Licuit semperque licebit
> Signatum præsente notâ producere nomen."

Frustra enim Chemici, Medici, Philosophi per tot secula laborâssent nisi nova quædam et Galenis et Celsis incognita invenissent. Hoc solum voluimus, ut eruditi omnium gentium homines, quæ scripsimus, intelligerent; neque enim multum nos profecisse existimaremus, si orationis elegantiam perspicuitate neglectâ captâssemus.

# ENUMERATIO

## MEDICAMENTORUM HOMŒOPATHICORUM.

Acidum Hydrocyanicum.
Acidum Muriaticum.
Acidum Nitri.
Acidum Phosphoricum.
Acidum Sulphuricum.
Aconitum Napellus L.
Æthusa Cynapium L. (Coriandrum Cinapium Roth.)
Agaricus Muscarius L.
Agnus Castus Vitex L.
Allium Sativum L.
Ambra Grisea. (Ambra Ambrosiaca L.)
Ammonium Carbonicum.
Ammonium Muriaticum.
Anacardium Orientale. (Semecarpus Anacardium L.)
Angelica Sativa. (Angelica Archangelica L.)
Angusturæ Cortex. (Angustura Bonplandia trifoliata Willden.)
Anisum Stellatum. (Illicium Anisatum L.)
Antimonium Crudum. (Stibium Sulphuratum Nigrum.)
Antimonium Tartaricum. (Tartarus Emeticus.)
Aranea Diadema L.
Argentum Foliatum.
Argilla Pura. (Alumina.)
Aristolochia (Aristolochia Clematìtis L.)

Armoracia. (Cochlearia Armoracia L.)
Arnica Montana L.
Arsenicum Album.
Artemisia Absinthium L.
Artemisia Vulgaris L.
Arum Maculatum L.
Asafœtida. (Ferula Asafœtida L.)
Asarum. (Asarum Europæum L.)
Aurum Foliatum.
Baryta Carbonica.
Baryta Acetica.
Belladonna. (Atropa Belladonna L.)
Bismuthi Magisterium.
Boras. (Natrum Boracicum.)
Bryonia Alba L.
Caladium Seguinum Pers. (Arum Seguinum L.)
Calcarea Acetica. (Terra Calcarea Acetica.)
Calcarea. (Calcarea Carbonica.)
Camphora. (Laurus Camphora L.)
Cancer Fluviatilis.
Cannabis. (Cannabis Sativa L.)
Cantharides. (Meloë Vesicatorius L.)
Capsicum. (Capsicum Annuum L.)
Carbo Animalis.
Carbo Vegetabilis.
Cascarilla. (Croton Cascarilla L.)
Castoreum. (Castor Fiber L.)
Causticum.
Chamomilla. (Matricaria Chamomilla L.)
Chelidonium Majus L.
China. (Cinchona Officinalis L.)
Cicuta Virosa L.
Cina. (Semen Cinæ, Santonici, Contra; Artemisia Judaica L.)

Cinnamomum. (Laurus Cinnamomum L.)
Clematis. (Clematis Erecta L.; Flammula Jovis.)
Coccinella. (Cocionella Septempunctata; Chrysomela Septempunctata L.)
Cocculus. (Menispermum Cocculus L.)
Coffea Arabica L.
Colchicum Autumnale L.
Colocynthis. (Cucumis Colocynthis L.)
Conium Maculatum L.
Copaivæ Balsamum. (Copaifera Officinalis L.)
Corallia Rubra. (Isis Nobilis L.)
Crocus Sativus L.
Croton Tyglium L.
Cuprum Metallicum.
Cuprum Aceticum.
Cyclamen Europæum L.
Digitalis Purpurea.
Dulcamara. (Solanum Dulcamara L.)
Eugenia Iambos L.
Euphorbia Officinarum L.
Euphrasia Officinalis L.
Evonymus Europæus L.
Faba Pichurim. (Laurus Pichurim; Lauraster Ambiensis Rumph.)
Ferrum Metallicum.
Ferrum Aceticum.
Filix Mas. (Aspidium Filix Mas Spreng. Willd., Polypodium Filix Mas L.)
Graphites. (Plumbago.)
Gratiola Officinalis L.
Guajaci Gummi. (Guajacum Officinale L.)
Helleborus Niger L.
Hyoscyamus Niger L.

Jacea. (Viola Tricolor L.)
Jalappa. (Convolvulus Jalappa L.)
Jatropha Curcas.
Ignatia Amara L. (Faba St. Ignatii.)
Indigofera Tinctoria L.
Jodium.
Ipecacuanha. (Cephaëlis Ipecacuanha Willd., Psychotria Emetica L.)
Juncus Pilosus L.
Kali Carbonicum.
Kali Hydriodicum.
Kali Nitricum, sive Nitrum.
Lachesis. (Trigonocephalus Lachesis.)
Lactuca Virosa L.
Lamium Album L.
Ledum Palustre L.
Lolium Temulentum L.
Lycoperdon Bovista L.
Lycopodii Pollen. (Lycopodium Clavatum L.)
Magnesia Carbonica.
Magnesiæ Murias.
Magnesia Sulphurica. (Sulphas Magnesiæ.)
Manganesium. (Manganum Aceticum.)
Menyanthes Trifoliata L. (Trifolium Fibrinum.)
Mercurius Vivus. (Hydrargyrum, Argentum Vivum.)
Mercurius Solubilis Hahnemanni Griseus.
Mercurius Corrosivus. (Mercurius Corrosivus Sublimatus; Hydrargyrum Muriaticum Corrosivum.)
Mezereum. (Daphne Mezereum L.)
Millefolium. (Achillea Millefolium L.)
Moschus. (Moschus Moschiferus L.)
Natrum.
Natrum Muriaticum.
Natrum Sulphuricum.

Nerium Oleander L.
Niccolum.
Nux Moschata. (Myristica Officinalis L.)
Nux Vomica. (Strychnos Nux Vomica L.)
Œnanthe Crocata L.
Oleum Animale Æthereum.
Oleum Terebinthinæ.
Oniscus Asellus. (Millepedes.)
Ononis Spinosa L.
Opium. (Papaver Somniferum L.)
Pæonia Officinalis L.
Paris Quadrifolia L.
Petroleum. (Oleum Petræ.)
Petroselinum. (Apium Petroselinum L.)
Phellandrii Aquatici Semen. (Phellandrium Aquaticum L.)
Phosphorus.
Platina.
Plumbum Aceticum. (Saccharum Saturni.)
Plumbum Metallicum.
Prunus Laurocerasus.
Prunus Padus L.
Pulsatilla. (Anemone Pratensis L.)
Ranunculus Bulbosus L.
Ranunculus Sceleratus L.
Ratanhia. (Krameria Triandra Ruiz.)
Rheum. (Rheum Palmatum L.)
Rhododendron Chrysanthum L.
Rhus. (Rhus Radicans sive Toxicodendron.)
Rorella. (Drosera Rotundifolia L.)
Ruta Graveolens L.
Sabadillæ Semen. (Veratrum Sabadilla Retzii.)
Sabina. (Juniperus Sabina L.)
Sambucus Nigra L.
Sassafras. (Laurus Sassafras L.)
Sassaparilla. (Smilax Sassaparilla L.)

Secale Cornutum.
Sedum Acre L.
Selenium Metallicum.
Senega. (Polygala Senega L.)
Senna. (Senna Alexandrina.)
Sepia. (Succus Sepiæ Octopodæ.)
Serpentaria. (Aristolochia Serpentaria L.)
Silicea Terra.
Solanum Mammosum.
Solanum Nigrum L.
Spigelia Anthelmia L.
Spongia Marina Tosta. (Spongia Officinalis L.)
Squilla Maritima L.
Stannum.
Staphysagria. (Delphinium Staphysagria L.)
Stramonium. (Datura Stramonium L.)
Strontiana Carbonica.
Sulphur. (Flores Sulphuris.)
Sulphuris Tinctura. (Spiritus Vini Sulphuratus.)
Sulphuris Hepar Calcareum.
Tabacum. (Nicotiana Tabacum L.)
Taraxacum. (Leontodon Taraxacum L.)
Teucrium Marum L. (Marum Verum).
Thea Cæsarea. (Thea Viridis L.)
Thuja Occidentalis L.
Thymus Serpyllum L.
Tinctura Acris sine Kali.
Uva Ursi. (Arbutus Uva Ursi L.)
Valeriana Officinalis L.
Veratrum Album L.
Verbascum Thapsus L.
Vinca Minor L.
Viola Odorata L.
Zincum Metallicum.
Zingiber. (Amomum Zingiber L.)

# PHARMACOPŒIA HOMŒOPATHICA.

In Pharmacia Homœopathica summo studio adniti necesse est, ut medicamenta sincera, pura, et quam maxime simplicia obtineantur, ne eorum virtutes aut commutationem suscipiant aut ullo in modo incertæ fiant. Cavere oportet ne medicinæ, quas *Adjuvantia* aut *Corrigentia* medici vulgo vocant, minima ex parte admisceantur. Nihil certe adjungi debet nisi *Vehicula*, ut ita loquar, non medica. Saccharum lactis et spiritus vini sunt optima *Excipientia*, quia medicis viribus carent, ut multiplex docuit usus.

Corpora medica aut terendo aut agitando cum uno aut altero horum vehiculorum miscere oportet, dum quantitas sacchari lactis, aut spiritus vini, secundum regulas postea

dicendas paulatim augeatur. Hic agendi modus vulgo attenuatio aut dilutio, rectius explicatio aut extensio virium medicarum appellari debet, perinde ac calor latens e corporibus aut terendo excuditur aut quibusdam misturis chemicis vigore prius incognito erumpit. Homœopathici iisdem remediis ad morbos sanandos utuntur, quibus allopathici, eaque e regno plantarum, minerarum atque animalium depromunt. E plerisque plantis, si nullum obstat impedimentum, succum recentem sumunt: ex iis vero quæ non nisi siccæ obtineri possunt, spiritu vini adfuso, illa parant medicamenta, quibus nomen est tincturis: vel si modis jam commemoratis plantas parare nequeunt, terendo medicorum usui aptas reddere solent. Ante omnia in medicamentis parandis cavendum est, ut summa mundities adhibeatur, et ut omnia, quæ eorum virtutes imminuere possint, longe absint. Oportet igitur, locum deligere, ubi calor neque usitatam domus temperiem superat, neque solis radii corpus medicum, de quo agitur, feriunt, neque aër malis vaporibus, scilicet acido sulphuroso, hydrogeneo acido, hydro-

tionthico, carbonum fumo, cloacarum et latrinarum viciniâ, medicamentorum odoribus, præcipue moschi, valerianæ, camphoræ, spiritus cornu cervi, castorei, asæfœtidæ, et quæ sunt alia, inquinatus est.

Ubi enim medicamentis multo spiritu vini attenuatis vel aliquantulum istorum admixtum sit, non evenire potest quin vires aliquo in modo commutentur atque incertæ fiant. Eandem ob causam parandis remediis, ea vasa minime apta sunt, in quibus paulo ante corpus gravem odorem spargens vel vasis lateribus firmiter adhærens, e. gr. moschus, olea ætherea, mercurius corrovivus sublimatus, arsenicum, et quæ his sunt similia, repositum est, nisi priusquam quid novi infundatur, multâ aquâ bene abluitur et dein siccatur. Sed ut omne periculum longe absit, fornaci candenti admoveri atque bene calefieri debent. Eandem autem curam medicus tum quoque adhibebit, cum necesse erit, ut idem remedium magis attenuatum detur ægroto; ita enim et calculi errorem fugiet, et ne medicina aliquantulum virium suarum atque efficacitatis amittat, scite cavebit. Eadem est

ratio, cur lagenulis vel caute ablutis, in quibus alia remedia reposita sunt, nunquam nova medicina infundi debeat; quoties de novo agitur remedio, toties nova deligatur lagenula. Si autem eadem adhibeatur lagenula, frequens spiritus vini deflagratio, atque deinde sedula aquæ puræ atque recentis ope purgatio instituenda est. Lagenulæ nunquam iterum iisdem embolis obturari debent. Lapides, qui adhibentur ad conterenda metalla pura, quæ cruda sunt necdum in laminas ducta, antequam novum metallum iis conteritur, necesse est, ut vitri frusto, purgationis causâ, leniter radantur. Vasa et instrumenta, quæ ad hanc rem apta sunt, e. gr. spathæ, cochlearia, infundibula, et quæ sunt his similia, vel e lapide, vel porcellano, vel cornu confici debent, ne fortasse metalli alicujus particula remediis immisceatur, quo vis eorum incerta atque alia fieri possit. Quamvis calor plerumque vitandus est, non tamen semper, ut postea demonstrabitur; ille enim, Hahnemanno auctore, haud parum medicamentorum vires mutat.

Eadem lintea ad medicamenta paranda

nunquam adhiberi debent. Accuratissima ponderis definitio perinde ac summa munditics postulatur; etenim si vel aliquantulo plus aut minus, quam par est, sumitur, non vitari potest, quin in remediis deinceps attenuatis et dilutis calculi error eveniat: nam eo facilius apparebit, quo magis remedia attenuata et diluta sunt; qui si commissus est in morbis acutis, ubi dilutissimis opus est, haud parum ægrotus periculi obibit.

Ubi remedium, et præsertim quidem pulvis parari incipit, si ab opere avoceris, cavendum est ne ullo in modo aër ingrediatur. Ut hoc vitari possit, summo cum studio in vitrum aut scatulam seponi debet; aliter enim timendum, ne remediorum vis mutetur, quod potissimum de mediis valet attenuationibus.

Neque minus cavendum esse debet in attenuandis remediis liquidis; quod si exempli causâ incertus sis, num jam remedii guttulam spiritui vini vi medicâ nondum prædito affuderis, melius erit lagenulam denuo purgare atque necessariâ spiritus vini quantitate replere repletæque medicinam addere. Quo

neglecto, quanta inde nascantur incommoda, definiri nequit. Eadem cura adhibenda est, si forte incauto tibi una vel altera guttula plus, quam satis est, admixta fuerit spiritui vini, vel ab interiore lagenæ parte defluxerit. Quotiescunque aquâ solvendum est remedium, destillatâ opus est: nam in communi aquâ multæ ferri, salium, sulphuris, aliarumque rerum, quæ medicâ vi pollent, particulæ insunt, unde metuendum est, ne remedii vires alienentur. Monere tamen oportet, ipsam aquam destillatam atque spiritum vini haud raro impura esse, eamque ob causam ad paranda remedia homœopathica minime apta. Ita sæpe accidit, ut in vasis paulo ante aquæ destillatæ vel spiritus vini præparationem aquâ aromaticâ vel medicinâ quâdam imbutis restet aliquid; si sit subtilissimum et pauculum, quod ne diligentissimâ quidem purgatione inde plane potest auferri, spiritus vini vel aqua pura inquinetur necesse est. Idem valet, et magis etiam, de eo spiritu vini, qui in officinis pharmaceuticis e reliquiis quorundam præparatorum chemicorum, quæ vocantur, e. gr. resinæ jalappæ

aliorumque repetitâ destillatione obtineri solet.

Item cavendum est, ne corpora, dum destillantur, vel cupreis, vel stanneis vasorum particulis inficiantur, quod, quia vapores metallorum facillime medicinam penetrant, haud semper prohiberi, neque subtilissimâ exploratione deinde investigari poterit. Licet enim omnia spiritus vini atque aquæ destillatæ vitia chemiæ auxilio deprehendi nequeant, certissimum tamen est, non minus ægrotos affici, quam ipsorum medicamentorum, quæ spiritu vini vel aquâ purâ excipiuntur, vires turbari atque alienari Quare ad hæc vitia vitanda maxime necessarium est, ut et aquam et spiritum vini ex optimo frumenti spiritu obtentum in vasis vitreis ad hunc solum usum destinatis iisque purissimis maximâ cum curâ paremus. Spiritui enim vini, qui calce muraticâ fortissimus redditur, nequaquam fidendum est.

Præterea æquabili ratione medicamenta paranda sunt, et spiritus vini ejusdem semper esse virtutis debet. Hæc res notatu dignissima est. Duæ tincturæ e spiritu vini non ejusdem vir-

tutis paratæ necesse est, ut medicâ vi differant. Ut omnes vires e corporibus medicis eliciantur, spiritu vini 90° utendum est. Quando vero attenuatione opus est, spiritus vini minus fortis adhiberi potest, cum vires jam comparatæ minuendæ tantum sint; hic enim non nisi eo fine adhibetur spiritus vini, ut medicamenta contra corruptionem serventur.

Ut medicamenta parata, eaque potissimum, quorum attenuationes primæ pulverum formâ asservantur, sint sincera atque pura, vehiculo itidem puro opus est. Saccharum lactis, quale prostat in officinis, quippe persæpe in mortariis ferreis, imo ex orichalco fabrefactis, non satis caute contusum et comminutum, haud evenire potest, quin sit impurum, vel herbis in viciniâ positis vario odore imprægnatum, ideoque medicis viribus instructum.

Hoc quidem non levis momenti est, indeque oritur necessitas explorandi, num saccharum lactis, quod adhibetur, purum sit. Interdum huic saccharo, in vasis cupreis cocto, cupri particulæ insunt, quæ optime detegi

possunt, si saccharo lactis aquâ soluto ammonii aliquantulum additur; quo facto cuprum cœruleo colore plane apparet. Ut e saccharo odor, quem e vicinis herbis accepit, amoveatur, supra chartam albam dispersum aliquamdiu solis radiis subjici potest, vel, si anni tempestas prohibet, in fornace mediocriter calente poni debet, simulque tamdiu agitari, donec omnis prorsus evanuerit odor. Loco humido non servandum est saccharum quia facile situ corrumpitur.

Dum medicamenta in pulverem redigendo attenuantur, abstinendum est a mortariis lapide serpentino confectis, utpote quæ vel intus raro lævia sunt; quo fit, ut aliquot particulæ pulveris parandi isti asperitati inhæreant atque medicinæ detrahantur, vel ita atteruntur, ut aliquantulum magnesiæ pulveri admisceatur eumque impurum reddat. Namque, ut recentissima docuit observatio, dubitari nequit, quin Magnesia, Calx, Argilla, Terra Silicea, et quæ sunt reliqua, apte trita vires medicas easque efficacissimas acquirant, quare admixta medicinæ parandæ haud flocci putanda sunt, uti fortasse aliquibus

videatur. Idem dicendum est de mortariis vitreis, quorum aliud insuper est incommodum, quod parvulæ bullæ, quæ sæpe insunt vitro, pistillo franguntur, quo facto medicamentum in iis delitescit ita, ut ne diligentissimâ quidem purgatione inde possit excuti. Qua de re optime sunt pateræ porcellano confectæ, vel simplices, vel vitro inductæ. Simplicibus utendum est, eæque, uti pistilla nuda, aptiores etiam reddi possunt subtilissimâ arenâ humectatâ multum eas abstergendo, quâ ratione et politissimæ fiunt, et impeditur, quo minus atterantur. Pulvis, qui, dum teritur, facillime pateræ et mortarii parietibus adhæret, idoneis instrumentis detrudendus est, cui fini spathula vel ossea vel cornea optime satisfacit. A spathulis metallo confectis abstinendum est, ne medicinæ aliquid admisceatur, quo ejus vires alienentur.

Cum certa medicamenti vis non nisi parvæ vehiculi, uti appellatur, quantitati perfecte et æquabili modo possit immisceri, et cum plane fieri nequeat, ut medicina in paterâ angustiore eo attenuetur, quoad fini propo-

sito respondeat, calculo deinceps progrediente granum ejus unum nonaginta novem corporis, quo excipitur, granis additur, quod repetendum est, quoties uniuscujusque remedii naturæ consentaneum erit. Hæc ratio in fluidis remediis ut facilior fiat, duabus mensuris vitreis opus est, in quarum unâ centum (vel potius nonaginta novem) guttarum spiritus vini, in alterâ vero nonaginta novem guttarum aquæ modus lineâ notatus est; quo facto singulis guttis numerandis supersederi poterit, imprimis cum aquæ guttæ e vasis aspero orificio haud præditis delabentes ægre numerari possint. Quando medicina attenuanda est, tot mensuræ, quot sunt opus, additis antea et nomine remedii et numero, deinceps locantur, atque indicato spiritus vini modo replentur, ut deinde a primâ mensurâ ad ultimam attenuanda medicinæ quantitas ex unâ in alteram commode instillari possit.

## DE MODO RECENTES PLANTAS PARANDI.

Plantæ apud nos crescentes, quibus recentibus uti licet, dum florent, colligendæ atque a sordibus adhærentibus aquâ purgandæ sunt. Plerumque totam plantam, et flores, et caulem cum foliis, et radices adhibere oportet. Ab hac regulâ plantæ, quæ sunt exceptæ, postea notabuntur. Ut autem earum vires totæ et quam fieri possit integerrimæ impetrentur, plantæ in minutissima frusta dissectæ atque mortario injectæ in pultem tenuem tundendo rediguntur, quæ, ut succus omnis inde extrahatur, linteo excepta prælo ligneo subjicitur. Succus, pari statim spiritus vini quantitate admixtâ, vasis vitreis reconditur. Die uno elapso, quod limpidum est et clarum, a fibris et albumine separatur. Spiritus vini admixtus impedit succi fermentationem, viresque remedii, a quo insuper solis radii arcendi sunt, incolumes et incorruptas servat. In plantis, quæ muco et albumine abundant, duplex plerumque spiritus vini quantitas requiritur, ut istæ inutiles partes recte secedant. Aliæ, quibus parcus inest

succus et rarus, subtiliter contusæ cum spiritus vini duplici quantitate sunt miscendæ; quo facto succus spiritu vini exceptus facilius exprimitur.

### DE MODO PARANDI SICCAS CORTICES, SEMINA, ET RADICES PLANTARUM PEREGRINARUM.

Plantæ peregrinæ, quarum cortex, semina et radices adhibentur, priusquam in pulverem convertuntur, ut, num sint genuinæ atque incorruptæ cognoscatur, diligenter explorari debent. Videndum est, ut plantæ sint siccissimæ, nam si quid in iis latet humoris, nequaquam poterit evitari, quin pulvis paululum humidus sit; et vasis clausis reconditus a situ et corruptione ægre defendetur. Pulvis obtinetur melius in balneo aquoso, dispergendo et frequenti agitatione siccando, donec omnes glebæ dissipatæ sint neque cohæreant amplius, sed arenæ subtilis instar discesserint. Ita pulvis vasis bene clausis atque sigillo obturatis, longum per tempus integer servatur. Optimum est, si medicus ipse cortices, semina radicesque plantarum peregrinarum in pulverem redigit, quod fieri debet in mor-

tario lapideo, vel, si necesse sit, in mortario ferreo, atque adfusâ spiritus vini aptâ quantitate tincturam ex eo sibi parat; quam elapso tempore necessario, quod, dum de singulis remediis sermo erit, indicabitur, de pulvere defusam bene recondit. Idem valet de remediis peregrinis, quæ animalia largiuntur et quæ non nisi sicca ad nos perveniunt.

Ad pauca solum corpora medica solvendum, Spiritus ætheris nitrici est adhibendus, idque etiam in primâ tantum attenuatione; sequentes vero attenuationes usitato modo fieri debent.

## DE MODO PARANDI METALLA.

Metalla duplici modo tractantur. Aliis Hahnemannus utitur solutis, aliis in pulverem redactis. Pulveres præferendi sunt, etiamsi enim metalla, addito saccharo lactis, terendo paululum acescant, tamen non tantum inde nascetur incommodum, quantum si acida iis addantur, cum satis constet, acidis et spiritu vini deinceps adfusis vim medicam multo minus excitari, quam si modo supra indi-

cato metalla cum saccharo lactis conteruntur.

Itaque metalla vel acido aliquo solvuntur, vel, si non uti aurum, argentum atque stannum in tenuissimas laminas ducta venduntur, comminuuntur: quod fit, si pars metalli genuini et purissimi in lapide sub aquâ teritur, donec satis pulveris obtineatur. Limâ propterea haud utendum est, quia metallum alterius metalli, quo mulcetur, vires acquirit: et hoc in modo medicamenti virtuti puræ fidere non potest.

## DE MODO MEDICAMENTA ANTIPSORICA PARANDI.

Remedia antipsorica recens commendata et alia quædam medicamenta, Baryten Carbonicum, Calcem Carbonicam, Terram Siliceam, Natrum, Sal Ammoniacum, Magnesiam Carbonicam, Carbonem Ligneum et Animalem, Graphyten, Sulphur, Antimonium Crudum, Aurum, Platinam, Ferrum, Zincum, Cuprum, Argentum et Stannum, Hahnemannus ita præparari jubet.

Horum medicamentorum in pulverem re-

dactorum granum unum cum nonaginta novem granis sacchari lactis miscendum est, in modo sequenti: Divide saccharum lactis in tres partes, quarum unaquæque triginta tria grana continet. Ad primam partem adjice unum medicamenti granum, et corneâ aut osseâ spathulâ in paterâ porcellaneâ vitro non obducto commisce: deinde tere optime per $\frac{1}{10}$ horæ (*anglice*, 6 *minutes*), et pulverem a pistillo et a mortarii latere et fundo abrade per $\frac{1}{15}$ (*anglice*, 4 *minutes*): tum tere iterum optime per $\frac{1}{10}$ horæ et pulverem abrade per $\frac{1}{15}$ horæ. Huic adjice secundam partem sacchari lactis, et sequere eandem regulam terendi per $\frac{1}{10}$ horæ et abradendi per $\frac{1}{15}$: iterum, sine additamento terendi, per $\frac{1}{10}$ et abradendi per $\frac{1}{15}$ horæ. Dein adjice tertiam et ultimam partem sacchari lactis, et sequere eandem regulam terendi et abradendi per eundem numerum et spatium temporum.* Centum grana pulveris sic parata in lage-

* Itaque quævis attenuatio per sexies decimam horæ partem terendo, atque sexies decimam quintam horæ partem abradendo, paratur, quo quidem labore integra hora consumitur.

nulâ bene obturatâ reconduntur. Hoc primam constituit attenuationem et signo (1) inscribitur, quo vis centies aucta significetur. (Vide paginam 19, De denominatione, &c.)

Ut secunda attenuatio obtineri possit, granum unum primæ attenuationis misce cum triginta tribus sacchari lactis ; in paterâ pistilli ope tere, atque modo indicato tracta ita ut quævis tertia pars per bis $\frac{1}{10}$ horæ fortiter teratur : trita vero toties et quidem per $\frac{1}{15}$ horæ abradatur priusquam secunda et ultima tertia sacchari lactis pars adjiciatur, atque similiter per bis $\frac{1}{10}$ horæ teratur, ut denique abrasus in vase vitreo bene clauso recondi possit.* Hoc secundam constituit attenuationem, et signo (2) notari debet, quo vis remedii decies millies explicata indicetur.

Eodem modo granum hujus pulveris unum tracta, ut tertia attenuatio obtineatur,* quæ signo (I) indicatur, quo vis ejus decies centies millies explicetur.

Omnia remedia in pulverem decies centies millies attenuatum redacta aquâ et spiritu vini

---

* Vide notam, p. 16.

solvere atque ita fluida reddere licet.* Grano uni pulveris, cujus vis ratione indicatâ ad tertiam attenuationem (I) explicata est, centum guttas spiritus vini, ita cum aquâ mixti, adjice; lagenulâ clausâ, quâ hæc mixtura recepta est, aliquamdiu circa axin suam move, donec pulvis solutus est; deinde bis, brachio quidem bis moto, concute; quo facto, præter nomen medicamenti signum $\frac{1}{I}$ ei inscribitur. Hujus solutionis guttam unam nonaginta novem guttis spiritus vini puri adfunde, et lagenulâ clausâ, brachio bis agitato, concute. Hoc signo $\frac{2}{I}$ notatur. De hac solutione itidem guttam unam, simul cum nonaginta novem spiritus vini misce; lagenulâ vero clausâ, atque repetito brachii motu, concute. Hoc signo (II) inscribitur.

Eædem regulæ, usque ad trigesimam attenuationem, observari debent. Quoniam lagenulæ mediocri tantum brachii motu con-

* Prima solutio spiritu vini puro adfuso parari nequit, quoniam saccharum lactis hoc liquore non solvitur: quâ de re spiritu vini aquâ commixto instituitur; is vero ita parandus est, ut centum guttæ spiritus vini omni aquâ privati cum totidem aquæ destillatæ guttis brachio decies agitato confundantur, quâ in re ut et spiritus vini et aqua ejus sit caloris, qualis in caveis deprehenditur, necesse est.

cutiendæ sunt, optimum est, tales deligere, quæ centum guttis medicamenti attenuati ad duas tantum tertias partes repleantur.

Remedia, quæ a plantis non nisi sicca obtinentur, e. gr. Corticem Chinæ, Radicem Ipecacuanhæ et his similia, modo remediorum, quæ Antipsorica vocantur, parata atque pariter in pulverem decies centies milies explicatum redacta aquâ et spiritu vini solvi possunt, quippe cum hac præparatione adhibita, salvis illarum viribus medicis, melius et longius conservari possint, quam tincturæ spirituosæ, quæ facile corrumpuntur.

## DE REMEDIORUM DENOMINATIONE.

Succi recentes spiritui vini adfusi vocantur tincturæ concentratæ vel fortes, addito die quo paratæ sunt; si sint attenuati, simpliciter notantur tincturæ, cum nomine medicamenti et numero attenuationis.

Juxta medicamenti nomen attenuationis numerus ponendus est, hoc modo. Centesimæ et millesimæ attenuationes sunt notandæ Arabicis numerorum signis, millionesimæ autem Romanis, e. gr. Belladonna 1 (pri-

ma attenuatio vel centesima pars), Belladonna 2 (secunda attenuatio vel decies millesima pars), Belladonna I (tertia attenuatio vel millionesima pars), Bellad. $\frac{1}{\mathrm{I}}$ (quarta attenuatio vel millionesimæ partis, pars centesima), Bellad. $\frac{2}{\mathrm{I}}$ (quinta attenuatio vel millionesimæ partis, pars decies millesima), Bellad. II (billionesima pars vel sexta attenuatio.) Bellad. $\frac{1}{\mathrm{II}}$, $\frac{2}{\mathrm{II}}$, III, $\frac{1}{\mathrm{III}}$, $\frac{2}{\mathrm{III}}$, IV, $\frac{1}{\mathrm{IV}}$, $\frac{2}{\mathrm{IV}}$, atque ita deinceps usque ad X (decillionesimam partem, vel trigesimam attenuationem.)

1. . . Prima attenuatio . Centesima pars.
2. . . Secunda . . . . . Decies millesima.
I. . . Tertia. . . . . . . Millionesima.
II. . . Sexta. . . . . . . Billionesima.
III. . . Nona . . . . . . . Trillionesima.
IV. . . Duodecima. . . . Quadrillionesima.
V. . . Decima quinta . . Quintillionesima.
VI. . . Duodevigesima . Sextillionesima.
VII. . . Vigesima prima . Septillionesima.
VIII. . . Vigesima quarta . Octillionesima.
IX. . . Vigesima septima Nonillionesima.
X. . . Trigesima . . . . Decillionesimia.

Numeri qui interveniunt sunt : $\frac{1}{I}$ centies millionesima pars vel attenuatio quarta ; $\frac{2}{I}$ decies millies millionesima pars vel quinta attenuatio ; $\frac{1}{II}$ billionesimæ partis centesima pars vel attenuatio septima ; $\frac{2}{II}$ billionesimæ partis decies millesima pars vel attenuatio octava, &c. &c.

Remedia sicca, non attenuata nomine tantum signantur, ea vero, quæ jam saccharo lactis sunt immixta, similiter nomine et numeris, uti in fluidis modo indicatum est, signare solet, e. gr. AURUM, ARGENTUM, PLATINAM, CALCAREAM CARBONICAM, SILICEAM. 1, 2, I, $\frac{1}{I}$, $\frac{2}{I}$, II, etc.

Varia metalla, et oxydata et regulina, ita signantur, ut illis nomen acidi, quo sunt soluta, *Aceticum*, *Muriaticum*, &c., his vero vox *Metallicum* addatur, e. gr. FERRUM METALLICUM, FERRUM ACETICUM vel MURIATICUM.

Signa proinde embolo lagenæ atque chartæ huic ipsi glutine affixæ inscribantur.

Ut in usum et exercitationem medicinæ simplex quædam et æquabilis ratio introducatur, eæ tantum lagenæ, quæ integris nu-

meris II, (pars millionesima) III, (pars trillionesima) IV, V, et ita deinceps insignitæ sunt, adhiberi, lagenæ vero, numerorum ratione habitâ illis interpositæ, scatulis vel cistulis, quibus signa necessaria sunt inscripta, recondi solent.

## DE CONSERVANDIS MEDICAMENTIS PRÆPARATIS.

Plurimis causis remedia parata summâ curâ asservanda sunt. Cum, ut antea dictum est, in officinis vapores corporum medicorum vitari nequeant, atque vires remediorum homœopathicorum, quod præcipue valet de eorum attenuationibus, inde alienentur necesse sit, non nisi in camerâ sejunctâ atque clausâ hæc remedia satis bene possunt recondi.

Attenuationes remotæ ab tincturis concentratis in alio cubiculo servari debent. Cum enim pleræque tincturæ concentratæ, uti moschi et camphoræ aliorumque medicamentorum, graves abunde spargant odores, vires suas ex parte cum attenuationibus communicabunt. Eandem ob causam lagenulæ, quibus attenuationes continentur, postquam

inde aliquid depromtum fuerit, per longius tempus et minime quidem apertæ in officinâ non remaneant.

Eodem modo pulveres quam primum a rebus gravem spargentibus odorem, quippe quo facile imbui atque mutari possint, removere oportet. Omnes attenuationes asservandæ sunt, cum singulæ singularia constituant remedia, quæ et viribus suis, et tempore, quo illas expromunt, inter se differunt, atque nulla earum supersederi possit, omnibus enim certis in morbis sua est utilitas. Omnia medicamenta, pulveribus non exceptis, lagenis, cum scatulæ et pyxides non satis contra aërem tueri possunt, excipienda sunt: lagenæ vero embolis e subere factis claudantur, namque emboli vitrei asperi non ita firmiter ostiis sese applicando fugam vaporum haud prohibent.

Remedia, quæ facillime in vapores abeunt, præter embolos membranis, tueri consultum erit. Emboli nonnunquam cum novis commutandi sunt, quod potissimum necessarium est in lagenis, quæ remedia metallica continent, eoque magis, si infima embolorum pars

alium induerit colorem, ne aliquid de iis spiritu vini solutum remediis admisceatur eorumque vires perdat.

Cum fere nihil sit, quod magis nobis officiat in viribus remediorum fluidorum conservandis, quam calor et lux, utrumque, quatenus fieri potest, a remediis arceri debet, cum impediat, quo minus per longius tempus integra maneant. Non solum enim spiritus vini, quem solis radii feriunt * brevi acescit, sed vires quoque medicamentorum luce tactorum continuo pereunt. Quâ de re omnia remedia, et mineralia et vegetabilia, non solum frigido, sed obscuro etiam loco recondi debent. Quodsi autem necessitas poscit, ut in officinâ reponantur, deligatur locus liber atque aëri pervius, ad quem solis lux pervenire nequeat. Proinde humiditas a remediis homœopathicis, et præcipue quidem a Terrâ Calcareâ, Hepate Sulphuris, Barytâ,

---

* Tincturarum acorem calx pura in pulverem subtilem redacta eaque compressa prodit, quæ si tincturæ examinandæ guttam placidissime insugit, signum est, illam nondum acidam vel corruptam esse, sin autem parvæ bullæ enascuntur, manifestum est, tincturam et acidam factam et viribus medicis esse destitutam.

nec non ab omnibus medicamentis in pulverem redactis removenda est, utpote quæ similiter viribus suis privet. Nonnulla remedia eorumque attenuationes, quæ vi lucis facillime mutantur, uti Acidum Hydrocyanicum, consentaneum erit, vitris atris vel atrâ chartâ obductis asservare. Acida propterea lagenis subere obturatis recondi nequeunt, quia suber solvunt eoque soluto vitiantur, quâ de re emboli vitrei atque asperi adhibendi sunt. Verum enimvero ne accidat, ut e lagenis, quæ embolis vitreis non satis firmiter sunt clausæ, aliquid de acido avolet, et emboli et orificia lagenarum cerâ obducuntur, ne quid aufugere possit.

## DE REMEDIORUM DISPENSATIONE ATQUE FORMULIS.

In remediis homœopathicis pulveris formam reliquis anteponere solet. Itaque certa medicamenti quantitas certæ atque definitæ sacchari lactis quantitati immiscenda est. Non commutandum est saccharum lactis cum saccharo vulgari, huic enim fere semper calcis aliquantulum inest.

Sacchari lactis tantum, quantum libet, adjiciendum est, in quâ tamen re sequentes regulæ observari debent: Primum quoniam saccharo lactis excipiuntur, non attenuantur remedia, medicamentum, præcipue si plura grana adhibere in animo est, ne ejus efficacitas crescat, non penitus cum succharo illo conteritur, sed obiter tantum ei admiscetur. Cum vero multi ægroti majorem remedii quantitatem ament, bonum est, plus uno sacchari grano adhibere. Sin autem ægrotus vel malâ pertinaciâ vel singulari quodam fastidio medicamentum in pulverem redactum plane respuat, dissolvatur in parvâ aquæ destillatæ quantitate et in haustus formâ capiatur. Remedia deinde, quæ facillime in vapores dilabuntur, uti Camphora, Moschus, Acidum Hydrocyanicum, et quæ his sunt similia, paulo antequam sumuntur, miscenda sunt, cum per longius tempus reposita vires suas perdant, imo plane avolent. Quâ de re ratum esse ducitur, hæc quoque remedia additis aliquot aquæ destillatæ guttis in lagenulâ bene clausâ recondere, quo ejus vires coërceantur. Si quando cedere necesse sit

obstinationi ægroti pulveris albi frequentationem respuentis, potuerit forte cum saccharo lactis commisceri pulvis de seminibus Theobromatis Cacao vel Radicis Liquiritiæ granum unum, quo salvis medicinæ viribus ejus color mutetur.

Jam vero in remediorum dispensatione summâ semper opus est attentione atque curâ, ne vel guttulâ granove plus aut minus detur ægrotis, quam quantum præscriptum est, et ne lagenula sine necessitate agitetur. Magis etiam vitandum est, ne inferior attenuatio, quam quæ indicata est, deligatur, quoniam nulla est, quin et viribus et temporis spatio, quo has expromit, a reliquis differat, unde apparet, magna ex ejusmodi errore incommoda oriri posse. Cum nostra plurimum referat, ut vel ultimarum attenuationum dosis in morbis acutis certa sit atque constituta, oportet in remediorum dispensatione et præscriptione formulæ bene expressæ adhibeantur, quas accurate sequi debet pharmacopola. Celeri remediorum cum saccharo lactis mixturâ opus est, ne illa

diutius aëri exponantur. Factâ mixturâ remedia involucro chartaceo includantur.

In formulâ post nomen medicamenti ponatur numerus attenuationis, e. gr.

℞. Tinct. Belladonnæ X:

tum quantitas necessaria definiatur: cujus cum modo gutta integra modo perparva guttæ particula pro mali magnitudine adhibenda sit, ut citius res expediri possit, signa adhibere solet, quæ sequuntur:

Gtt. 1. gutta integra.

Gtt. ss. gutta dimidia.

Gtt. p. (parva) guttæ quarta pars.

Cum vero gravissimum sit, ut remedia homœopathica non solum maxime attenuentur, sed etiam, quam fieri possit, arctissimis spatii limitibus circumscribantur, cum porro in paucissimis morbis nec non nisi in robustissimis hominibus vel integra vel dimidia gutta danda sit pro dosi, Hahnemannus, ut dividatur gutta, hanc regulam tradit.

Sumantur globuli minimi vulgo a pistoribus cupedinariis e saccharo et amylo parati, qui magnitudine fere æquant Semina Papaveris, quorumque ducenti circiter ad pondus grani

unius accedunt. Tinctura medicata guttatim manet super numerum horum globulorum in lagenula donec omnes medicamento saturati sint. Globuli ita medicinâ infecti per longum admodum tempus, imo per annum integrum et ultra, nihil de viribus medicis perdunt. Admixto vero illis saccharo lactis, præcipiendum est, ut totus pulvis semel et quidem siccus vel interdum aquæ guttis aliquot humectatus deglutiatur, quâ in re insuper videndum est, ne aliquid inde delabatur.

Hâc ratione pharmacopolæ indicari potest dosis, quantam medicus in aliquo morbo necessariam esse judicavit, atque medicamenta, ita fere proponenda sunt:

℞. Tincturæ Aconiti VIII, gutta i.
vel globuli ij. iij. iv. &c.
Pulveris Sacchari Lactis gr. vi.
Misce.
Fiat pulvis.

Vel,

℞. Tinct. Belladonnæ X, glob. ij.
iij. iv. x. &c.
Pulv. Sacchari Lactis gr. vi.
M.
Ft. pulv.

Globuli isti, quorum numerus in formulâ indicatus est, præscriptâ remedii attenuatione, ut brevi ante demonstratum est, imbuendi sunt.

Signa, quibus pondera horum remediorum in pulverem redactorum indicari solent, verbi causâ gr. j. gr. ss. gr. $\frac{1}{4}$, facillime intelliguntur; pondera ipsa lancibus et oculis sine difficultate definiri possunt.

# PRÆPARATIO
# REMEDIORUM HOMŒOPATHICORUM.

## ACIDUM HYDROCYANICUM.

Tres attenuationes (I).

Recipe guttam unam Acidi Hydrocyanici, quod secundum Guylussac paratum est, et misce cum nonaginta novem guttis spiritus vini. Hæc est prima attenuatio, et signo 1 est notanda.

Hujus autem mixturæ guttam unam itidem cum nonaginta novem guttis spiritus vini commisce; quæ secundam constituit attenuationem, et signo 2 notanda est.

Hujus autem mixturæ guttam unam itidem cum nonaginta novem guttis spiritus vini conjunge, et hæc tertiam constituit attenuationem.

Dosis :—Globuli ij. tertiæ attenuationis.

Antidotus :— Ammonium parvâ sæpius dosi repetendum.

N. B. Cum hoc acidum facile avolet et solvatur, sæpius denuo parandum est. Cum vero ejus vires in corpus sanum nondum probe exploratæ sint, homœopathici medici Prunum Laurocerasum, de quo infra erit sermo, ei præferunt.

## ACIDUM MURIATICUM.

Tres attenuationes (I).

Diligenter purgandum est ab Acido Sulphurico, quod sæpe ei inhæret. Id fit vel repetitâ supra Natrum Muriaticum destillatione, vel, quod melius est, denuo institutâ destillatione, postquam Baryta Muriatico præcipitatum eoque ab omni Acido Sulphurico liberatum fuit.

Unam hujus acidi guttam misce nonaginta novem guttis tenuioris spiritus vini (qui e totidem guttis aquæ destillatæ et fortissimi spiritus vini decies repetitâ brachii agitatione paratus esse debet,) brachiumque bis agita: hæc attenuatio 1 signanda est. Deinde attenua ad dilutionem tertiam.

Dosis:—Globuli ij. vel plures tertiæ attenuationis.

N. B. Attenuationes recens parandæ sunt.

## ACIDUM NITRI.

Triginta attenuationes (X).

Nitrum ut purissimum sit partibus aquæ fervidæ sex primum solvendum, deinde vero, ut restituantur crystalli, frigori maximo exponendum est. Hujus uncia dimidia in pulverem redacti ope infundibuli vitrei, quod rostro incurvo præditum est, in parvam retortam luto obductam immittitur, quo facto per idem infundibulum unciam dimidiam Acidi Phosphorici, secundum præceptum, quod infra dabitur, parati atque ad olei similitudinem accedentis infunditur; tum utrumque paululum agitatum leni igne destillatur, quo fit, ut Acidum Nitricum fumos non exhalans et ponderis circiter 1,200 in excipulum leviter adjunctum transeat.

Unam hujus acidi guttam cum nonaginta novem guttis Aquæ Destillatæ bis agita. Hæc signo 1 est notanda. Hujus vero liquoris guttam unam cum nonaginta novem guttis aquosi Spiritus Vini misce, quæ secundam constituit attenuationem. Jam vero attenuationes Spiritus Vini non diluti ope ad

tricesimam attenuationem, quæ X notatur, para.

Dosis :—Glob. ij. attenuationis duodevigesimæ, vel vigesimæ quartæ, vel tricesimæ. Ægroti, qui facillime Acido Nitrico afficiuntur, trigesimam tantum attenuationem ferunt.

Duratio:—Hoc remedium sæpe ultra quadraginta dies efficax est.

Antidotus :—Camphora.

## ACIDUM PHOSPHORICUM.

Novem attenuationes (III).

Libræ uni ossium calcinatorum atque in frusta parva comminutorum in vase porcellano confecto libra una Acidi Sulphurici fortissimi adfunditur, quæ mixtura primum intra viginti quatuor horas bacilli vitrei ope pluries versatur, deinde vero duabus cum libris Spiritus Vini optimi mixta atque attenuata e sacco linteo, quo recipienda est, inter duas tabulas politas, magnis ponderibus impositis, exprimitur. Quod remanet in sacco denuo duabus Spiritus Vini libris attenuandum est ; quod vero inde exprimitur, priori liquori adfusum per aliquot dies reponatur, ut clarum et limpidum fiat. Omnis ita fæcibus purga-

tus liquor ignis ope in paterâ porcellaneâ inspissari, inspissatus vero igne candente liquefieri debet. Acidum Phosphoricum fusum, quod crystallorum puritatem præ se ferre debet, dum calet, in frusta parva comminutum in vase vitreo bene clauso reponendum est, cum aëre accedente brevi et plane quidem in laticem paulo spissiorem mutetur.

N. B.—Simplicius parari potest si Phosphorus in Acido Nitrico coquatur et deinde ad ignem candentem subjiciatur, quia Acidum Phosphoricum, quod ex ossibus calcinatis ope Acidi Sulphurici paratur, plerumque Calcis Phosphatem et Sulphatem continet.

Nonaginta guttas Aquæ Destillatæ cum decem guttis Spiritus Vini misce, atque in hoc liquore Acidi Phosphorici granum unum solve et bis agita, quæ primam attenuationem constituit. Reliquas octo attenuationes Spiritu Vini non diluto para.

Dosis :—Glob. ij. nonæ attenuationis.

Duratio :—Per quadraginta dies et ultra.

Antid.—Vires ejus Camphorâ et Coffeâ mitigantur.

## ACIDUM SULPHURICUM.

Tres attenuationes (I).

Acidum Sulphuricum vulgare, quale venditur in officinis, quia plerumque est impurum et fusci coloris, nec non vapores albidos exhalat, primo purgandum est, quod fit repetitâ ex retortâ vitreâ balneo arenæ immersâ destillatione, quo in opere perficiendo cautissime versandum est.

Ad attenuationes parandas eundem modum, quo de Acido Phosphorico præceptum est, sequere.

Dosis :—Glob. ij. tertiæ attenuationis.

Dura.—Per quatuor saltem hebdomadas.

Antidotus : —Pulsatilla.

## ACONITUM NAPELLUS L.

Triginta attenuationes (X).

Floret mensibus Julio et Augusto, quo tempore colligenda est.

Succum e recente herba expressum cum pari quantitate Spiritus Vini misce, et viginti quatuor horis præterlapsis liquorem limpidum et clarum defunde.

Unam hujus guttam cum nonaginta novem guttis Spiritus Vini bis agita, et signo (1) in-

scribe. Deinde attenua ad dilutionem trigesimam.

Dosis :—Glob. ij. vel iij. vigesimæ quartæ in morbis chronicis, in acutis vero tricesimæ attenuationis.

Duratio :—Per duodequinquaginta horas.

Antid.—Acida plantarum vel Vinum.

## ÆTHUSA CYNAPIUM L.

(Coriandrum Cynapium Roth.)

Novem attenuationes (III).

Totam plantam eodem modo, quo Aconitum, para.

Quoniam vero vires ejus in corpus sanum nondum satis sunt cognitæ atque exploratæ, neque tempus, intra quod remedium has expromit, neque dosis ejus definiri possunt.

## AGARICUS MUSCARIUS L.

Triginta attenuationes (X).

Initio autumni colligendus est.

Stipes et pileum bene purgatum, remotâ superficie, in frusta comminue et parem Spiritus Vini quantitatem infunde : tum sepone per tres dies, et a fæcibus, si quæ sint, liquorem effunde ; dein ad dilutionem trigesi-

mam, eodem modo ut in plantis recentibus, attenua. Si recens planta obtineri non potest, siccam para modo antipsoricorum.

Dosis :—Glob. iij. vel iv. tricesimæ attenuationis.

Duratio.—Per quadraginta et plures dies.

Antid.—Camphora, Vinum, Coffea et Pulsatilla.

### AGNUS CASTUS VITEX L.

Novem attenuationes (III).

A mense Julio ad Septemb : colligendus est.

Succum e foliis et floribus exprime, et cum pari Spiritus Vini quantitate commisce; liquorem limpidum horis viginti quatuor præterlapsis defunde, et ad attenuationem nonam dilue.

Vel recentes baccas exprime et cum pari Spiritus Vini quantitate commisce. Si baccæ recentes obtineri non possunt, siccas para modo antipsoricorum. (Stapf.)

Dosis :—Glob. ij. primæ attenuationis, ad tertiam in morbis chronicis, in acutis vero nonæ.

### ALLIUM SATIVUM L.

Una tantum attenuatio ( 1 ).

A mense Junio ad Augustum est colligen-

dum. Totam plantam adhibe et eundem modum, quo de succis recentibus præceptum est, sequere.

## AMBRA GRISEA.
### (Ambra Ambrosiaca L.)

Sex attenuationes (II).

Granum unum cum nonaginta novem Sacchari Lactis granis tere, et in duabus, quæ sequuntur, attenuationibus parandis, easdem sequere leges ut de remediis antipsoricis dictum est. Primam fluidam attenuationem Spiritus Vini aquosi ope, reliquas vero ad sextam para ratione jam indicatâ.

Dosis:—Glob. ij. tertiæ, aut in corporibus quæ irritabilia sunt sextæ attenuationis.

Duratio :—Per tres saltem hebdomadas.

Antid.—Camphora, Nux Vomica et Pulsatilla ejus vires compescunt.

## AMMONIUM CARBONICUM.

Duodeviginti attenuationes (VI).

Lagena paulo altior, leviter clausa, quæ unciâ dimidiâ Ammonii Muriatici atque unciâ unâ Natri Crystallini sicci, terendo commixtorum, repleta est, in aheno ferreo eatenus

arenæ immittatur, quo pertinet mixtura, deinde autem subdito igne Ammonium in superiorem lagenæ partem attollatur. Lagenâ fractâ remedium eximatur.

Ammonium Carbonicum eodem modo ut in Remediis Antipsoricis usque ad attenuationem duodevigesimam para.

Dosis :—Glob. ij. duodevicesimæ attenuationis.

Dura.—Per triginta sex dies atque ultra.

Antid. — Camphora soluta, naribus admota, coërcet et Hepar Sulphuris.

## AMMONIUM MURIATICUM.

Triginta attenuationes (X).

Unum crystallorum granum cum Saccharo Lactis tere ter, et cum Spiritu Vini modo Antipsoricorum ad attenuationem trigesimam dilue.

Dosis:—Glob. ij. vel iv. tricesimæ attenuationis.

## ANACARDIUM ORIENTALE.

(Semecarpus Anacardium L.)

Triginta attenuationes (X).

Seminis in pulverem subtilem redacti, gra-

num unum terendo cum nonaginta novem Sacchari Lactis granis ad tertiam attenuationem explica, deinde vicies septies in Vini Spiritu usque ad trigesimam dilutionem attenua modo Remediorum Antipsoricorum.

Dos.—Glob. ij. trigesimæ atten: in morbis acutis, in chronicis vero vicesimæ quartæ.

Dura.—Sæpe ultra dies triginta.

Antid.—Camphora et Juglans compescere possunt.

## ANGELICA SATIVA.

(Angelica Archangelica L.)

Quatuor attenuationes ($\frac{1}{I}$).

Hanc radicem in pulverem redactam eodem modo uti Remedia Antipsorica para, et ad attenuationem quartam redige.

## ANGUSTURÆ CORTEX.

(Angustura, Bonplandia trifoliata Willden.)

Novem attenuationes (III).

Quinquaginta grana cum mille Spiritus Vini guttis misce et per sex dies sepone, ignem non adhibens: dein ad nonam dilutionem attenua. Melius est modo Antipsoricorum parari.

Dosis :—Glob. ij. sextæ attenuationis in morbis chronicis, in acutis vero nonæ.

Antid.—Potus e fabis Arabicis paratus.

## ANISUM STELLATUM.

(Illicium Anisatum L.)

Semina in pulverem redacta modo eorum, quæ Angustura suppeditat, para.

## ANTIMONIUM CRUDUM.

(Stibium Sulphuratum Nigrum.)

Triginta attenuationes (X).

Ut purum sit, in pulverem redactum, in aquâ super lapide plano tere ; dein sicca et iterum tere. Pulvis fit niger subtilissimus, qui in aquâ insolubilis est.

Eundem modum, quo de remediis antipsoricis præceptum est, sequere.

Dosis :—Glob. ij. vigesimæ quartæ attenuationis in morbis diuturnis, in acutis vero trigesimæ.

Dura.—Ad minimum per dies sexaginta.

Antid. — Hepar Calcis atque fortasse Hydrargyrum.

## ANTIMONIUM SIVE STIBIUM TARTARICUM.

(Tartarus Stibiatus ; Tartarus Emeticus.)

Sex attenuationes (II.)

Est sal triplex, quod constituitur Acido Tartarico, Kali et Oxydulo Antimonii. Para parem quantitatem Tartari Depurati et Croci Antimonii in vase porcellaneo, aquâ adfusâ, coquendo, deinde liquorem percolando et sæpius reponendo, ita ut crystalli conflari possint ; qui quidem crystalli parvi, pellucidi, firmi, perfecte albi, saporis parum metallici et ingrati, quatuor vel sæpius tribus præditi sunt angulis.

Nonaginta novem grana Sacchari Lactis cum quindecim circiter guttis Aquæ Destillatæ in mortario subige in pultem tenacem, atque huic granum unum Tartari Emetici ope pistilli humidi immisce. Hæc mixtura, nisi plus, quam attenuatio tertia requiratur, ratione supra indicatâ in pulverem redigenda est; ulteriores vero attenuationes fluidæ esse debent.

Dosis :—Glob. ij. quintæ attenuationis in morbis chronicis, in acutis vero sextæ.

Antid.—Pulsatilla, Ipecacuanha et Asafœtida vires ejus coërcent.

## ARANEA DIADEMA L.

Triginta attenuationes (X).

Incide posteriorem hujus animalis partem, guttamque humoris, quæ e vulnere manat, misce cum nonaginta novem Sacchari Lactis granis: attenua terendo ad tertiam dilutionem, eodem modo quo antea in remediis antipsoricis adhibendum esse dictum est: reliquas vero attenuationes in Spiritu Vini ratione consuetâ ad trigesimam dilutionem para. (Grossius.)

Dosis:—Glob. i. aut ij. trigesimæ attenuationis.

## ARGENTUM FOLIATUM.

Sex attenuationes (II).

Purissimum tantum atque pondo octo unciarum adhibetur. Eundem modum, quo de remediis antipsoricis præceptum est, sequere.

Dosis:—Glob. ij. vel iij. secundæ attenuationis in morbis chronicis, in acutis vero sextæ.

## ARGILLA PURA (ALUMINA).

Triginta attenuationes (X).

Ad Argillam Puram parandam, redige in pulverem Calcis Muriatem, quæ, in vase porcellaneo adhuc calido, ardoris candentis ope siccata est; deinde cum idoneâ Spiritus Vini quantitate commisce. Sulphatis Aluminæ unciam dimidiam solve in Aquæ Destillatæ unciis duabus cum semisse, et cola: huic Calcis Muriatis liquorem spirituosum adjice, qui Sulphatem Calcis demittit eique adjice donec non amplius demittatur. Liquor limpidus supernatans Aluminæ Muriatem continet. Ut Murias ab Aluminâ secerni possit, liquorem spirituosum Ammoniæ Muriatis adjice. Aluminam demissam dein ablue bene ut penitus amoveatur Ammonia. Pulverem candefactum et adhuc calidum in vase clauso sepone.

N. B. Hartlaub et Trinks autem hunc modum tradunt: Aluminam communem liqua in aquâ fervente, et fiant crystalli: sæpius repete ut Ferri Oxydum, quod fortiter adhæret, penitus amoveatur. Si pura sit, liquari potest in Potassæ Liquore, limpidumque

fluidum præbet; si impura, flavos floccos demittit. Aluminam sic purgatam in aquâ fervente liqua, misceque cum Carbonatis Potassæ liquore donec non amplius demittatur. Adjice aliquid amplius Carbonatis Potassæ leniterque misce. Præcipitatum per chartam bibulam separa a fluido, idque sæpius lavatum, in Acido Muriatico liqua. Hunc liquorem nisi limpidum cola, et Aluminam Carbonis Ammoniæ ope quæ satis superque adjicitur, demitte. Alumina hoc modo parata est valde mollis, lubrica et in massam concreta; sæpius abluenda est ut salis particulæ amoveantur. Inter chartam bibulam interposita in aëre siccatur.

Para ut in medicamentis antipsoricis triginta dilutiones.

Dosis:—Glob. i. aut iij. trigesimæ atten:, interdum duodevicesimæ et vicesimæ quartæ.

Duratio:—Quadraginta dies et ultra.

Antid.—Camphora?, Chamilla et Ipecacuanha.

### ARISTOLOCHIA.

(Aristolochia Clematitis L.)

Una attenuatio (I).

A mense Maio ad Junium colligenda est.

Succum Aristolochiæ recens expressum adhibe, et eundem modum, quo de recentibus plantis præceptum est, sequere et unam attenuationem para.

## ARMORACIA.

(Cochlearia Armoracia L.)

Easdem regulas sequere ut de recentibus plantibus.

Utriusque medicamenti in corpus sanum vires nondum satis sunt exploratæ.

## ARNICA MONTANA L.

Sex attenuationes (II).

In jugis montium planis inter virgulta crescit. Eæ radices adhibentur quæ crassitie suâ ad pennæ tenuis similitudinem accedunt.

Radicem in pulverem redactam eodem modo, quo de recentibus plantis præceptum est, para. Quinquaginta grana cum mille Spiritus Vini guttis misce et per aliquot dies sepone; dein dilue ad sextam attenuationem.

Dosis :—Glob. ij. sextæ attenuationis.

Duratio :—Per sex dies.

Antid.—Camphora ei officit, Vinum vero vires ejus auget.

## ARSENICUM ALBUM.

Triginta attenuationes (X).

Granum unum Arsenici Albi in pulverem redacti cum Aquæ Destillatæ drachmis sex in longiore et tenuiore lagenâ super flammâ coque, donec perfecte solutum sit. Aquam coctione in vapores mutatam restitue; deinde parem Spiritus Vini quantitatem (drachmas sex) adde, et guttarum numero definito, tantum de mixturâ, quæ pari quantitate aquæ atque Spiritus Vini fortissimi (85° ad 90°) paranda est, paulatim adfunde, ut totus liquor ad numerum mille guttarum accedat. De hoc liquore guttas decem in lagenam, quæ jam nonaginta guttis Spiritus Vini repleta est, instilla, atque hanc mixturam bis agita. Hæc secundam constituit attenuationem. Reliquas vero attenuationes usque ad trigesimam legibus consuetis para.

Dosis:—Glob. i. vel ij. trigesimæ attenuationis.

Duratio:—Magna dosis ab quatuor ad sex fere hebdomadas, minor vero ab octo ad quatuordecim dies.

Antid.—Ipecacuanha et Nux Vomica, Sambucus Arsenico opponuntur. Veneficia multo Arsenico perpetrata Kali Oleo immixti magnâ quantitate, vel Hepatis Calcis soluti usu nec non lactis pinguis largâ potatione irrita redduntur.

### ARTEMISIA ABSINTHIUM L.

Mensibus Julio atque Augusto colligenda est.

Tincturæ parandæ succum e totâ plantâ expressum modo plantarum recentium adhibe.

Dos.—Tincturæ concentratæ gutta parva.

### ARTEMISIA VULGARIS L.

A mense Julio ad Septembrem colligenda est.

De præparando hoc remedio vide plantam modo descriptam.

### ARUM MACULATUM L.

Succum e totâ plantâ extrahe, et modo plantarum recentium para.

### ASAFŒTIDA.

(Ferula Asafœtida L.)

Novem attenuationes (III).

Quinquaginta grana cum mille Spiritus

Vini guttis misce, dein modo consueto dilue. Melius est modo antipsoricorum parari.

Dosis:—Glob. ij. in multis morbis sextæ attenuationis, in acutis vero nonæ.

Duratio:—Ultra quatuordecim dies.

Antid.—China, Pulsatilla atque Vis Electrica.

## ASARUM.

### (Asarum Europæum L.)

Quindecim attenuationes (V).

Succum recens expressum cum pari quantitate Spiritus Vini misce, dein modo consueto dilue ad attenuationem quintam decimam.

Dosis:—Glob. ij. duodecimæ vel decimæ quintæ attenuationis.

Antid.—Camphora atque Acetum mitigat.

## AURUM FOLIATUM.

Duodecim attenuationes (IV).

Auro Foliato optimo utendum est.

Eundem modum, quo de antipsoricis præceptum est, sequere.

Dosis:—Glob. ij. primæ vel secundæ in morbis chronicis, duodecimæ vero attenuationis in acutis et in hominibus valde irritabilibus.

Duratio:—Certe ad diem vicesimum primum.

## BARYTA CARBONICA.

Duodeviginti attenuationes (VI).

Barytæ Muriatici Crystalli in subtilem pulverem redacti cum Spiritus Vini partibus sex per breve tempus coquuntur, ut, si quid in illis Strontitæ Muriatici supersit, id inde removeatur. Pulvis, qui restat, sex partibus Aquæ Destillatæ ferventis solutus Ammonio Carbonico (forte salis Cornu Cervi solutione) præcipitatur. Barytes ita præcipitatus sæpius Aquâ Destillatâ abluendus, deinde vero siccandus est.

Hoc remedium eodem modo deinceps attenua, uti remedia antipsorica.

Dosis:—Glob. ij. duodevigesimæ attenuationis.

Duratio:—Ultra duodequinquaginta dies.

Antid.—Camphora soluta, naribus sæpius admota, mitigat.

## BARYTA ACETICA.

Tres attenuationes (I).

Barytes Carbonicus purus Acido Acetico

puro solvitur; fluidæ partes, quoad satis est, ignis ope removentur, ut crystalli conflari possint. (Barytes Carbonicus optime potest obtineri, tractando Baryten Muriaticum, qui ubique venditur, ope Kali Carbonici purissimi.)

Granum unum cum nonaginta novem guttis Aquæ Destillatæ solve; idem fiat de aliis duabus attenuationibus.

Dosis:—Glob. i. vel ij. tertiæ attenuationis.

N. B. Quoniam ejusmodi remedia soluta facillime corrumpuntur, Baryten Aceticum cum Saccharo Lactis conterere consultius est. Parvam hujus remedii quantitatem aquâ communi recipere minime licet; proinde cavendum est, ne sumto remedio aqua illico bibatur, quippe quâ illud mutaretur.

## BELLADONNA.

(Atropa Belladonna L.)

Triginta attenuationes (X).

Mensibus Junio, Julio et Augusto, quibus floret, colligenda et recens exprimenda est.

Eodem modo para, uti omnes plantæ re-

centes, et ad tricesimam attenuationem explica.

Dosis:—Glob. ij. vel iij. trigesimæ attenuationis; in morbis autem diuturnis et in hominibus robustis vigesimæ quartæ aut vigesimæ primæ.

Duratio:—Per tres hebdomadas atque ultra.

Antid.—Opium, Hyoscyamus, Vinum, Pulsatilla, Hepar Sulphuris, Hydragyrum, et Coffea. Ægritudo, quam Belladonna gignit, Aceto pejor redditur.

In veneficiis Belladonnæ ope perpetratis optimum est, larga uti Fabarum Arabicarum potatione, quo fit, ut venenum vomitu, qui insuper ciendus est pennæ plumulis, rejiciatur.

### BISMUTHI MAGISTERIUM.

Triginta attenuationes (X).

Solve in satis magnâ Acidi Nitrici quantitate Bismuthum in pulvere redactum, et hanc solutionem largæ satis multitudini aquæ puræ, quæ illam quinquagies vel centies superet, guttatim instillatam bene agita. Sal hac ratione præcipitatum, Oxydum Bismuthi,

aliquot horis post a liquore supernatante separa, deinde vero totidem partibus aquæ puræ, cui tamen aliquot guttæ Kali soluti admixtæ esse debent, adfusis, Sal bene agita. Id quod hâc viâ aliquo tempore post decidit, ab omni liquore liberatum inter chartam bibulam, ponderibus insuper impositis, perfecte sicca.

Attenua eodem modo, in quo remedia antipsorica parantur.

Dosis:—Glob. ij. trigesimæ attenuationis.

## BORAS. (NATRUM BORACICUM.)

Triginta attenuationes (X).

Suboras Sodæ adhibetur. Unum granum ter cum Lactis Sacchari nonaginta novem granis misce, et vicies septies in Vini Spiritu, sicut medicamenta antipsorica.

Dosis :—Glob. i. aut ij. trigesimæ attenuationis.

Durat.—Ultra complures hebdomadas.

## BRYONIA ALBA L.

Triginta attenuationes (X).

Medici Homœopathici radice tantum utuntur. Necesse est, ut, priusquam planta floret,

itaque ante mensem Junium, evulsa exprimatur.

Hanc radicem para usque ad attenuationem trigesimam modo plantarum recentium.

Dosis :—Glob. i. vel ij. trigesimæ in morbis valde acutis; in chronicis vero decimæ quintæ vel duodevigesimæ vel vigesimæ quartæ.

Duratio :—Per duas hebdomadas.

Antid.—Rhus Radicans atque Camphora.

## CALADUM SEGUINUM PERS.

### (Arum Seguinum L.)

Triginta attenuationes (X).

Hering, qui hanc plantam primum in medicamentum induxit, in pratis paludosis circum oppidum Paramaribo invenit. Succum valde acidum continet et tumorem, inflammationem, sermonisque privationem conficit si linguâ tangatur. (Effectus, qui describuntur in Archivis Homœop. Vol. xi. No. 2, p. 160, &c. orti sunt per tincturam, pares Spiritus Vini partes et foliorum radicisque succum continentem.)

Si planta recens obtineri possit, eundem modum, quo succi recentes parantur, se-

quere: Si vero pulvis solum, secundum plantarum siccarum regulam para, usque ad attenuationem trigesimam.

Dosis:—Glob. ij. aut iij. trigesimæ attenuationis.

Durat.—Per sex et octo hebdomadas.

Antid.—Aqua frigida tumorem compescit quamdiu pars corporis morbo tacta immergitur: Oleum non valet; Jus Capsici aliquantum valet.

## CALCAREA ACETICA.

(Terra Calcarea Acetica.)

Conchas crudas per horam integram aquâ purâ fluviatili coctas, atque deinde malleo ligneo fractas Aceto destillato solve. Acetum, ut perfecte illis saturetur, donec ebulliat, in vase porcellaneo coque. Liquorem colatum ad partem quintam usque ignis ope remove. Coloris est flavi, atque aliquamdiu repositus materiam fuscam viscidamque deponit; quo facto, flavus ejus calor redditur clarior. Spiritus Vini adfusus medicamentum contra mucorem tuetur.

Dosis: —Gutta integra interdum nimia

est: Glob. x. vel xii. in plurimis casibus sufficiunt.

## CALCAREA. (CALCAREA CARBONICA.)

Triginta attenuationes (X).

Granum unum Calcis albissimæ atque fragilis, quâ conchæ ostrearum intus conflatæ sunt, cum Saccharo Lactis tere et modo antipsorico para.

Dosis:—Glob. ij. duodevigesimæ attenuationis. Sunt tamen homines admodum robusti, quibus, si chronicis morbis laborant, octo vel decem vel duodecim globuli dari debent; iis, quorum nervi sunt debiles, ulteriores attenuationes, atque de his parva tantum quantitas, conveniunt.

Duratio:—Per quinquaginta dies et ultra.

Antid.—Solutio Camphoræ, vel, quod melius est, Spiritus Nitri Dulcis naribus admotus vires dosis nimiæ, cujusque quantitas homœopathiæ legibus adversatur, optime compescit.

N.B. Calcareæ Aceticæ solutioni Calcarea Carbonica in medicinâ exercendâ præferenda est, cum illa non tam bene atque accurate præparari, neque ejus dosis recte a medico constitui possit.

## CAMPHORA.

(Laurus Camphora L.)

Granum Camphoræ unum cum nonaginta novem guttis Spiritus Vini solve.

Dosis :—Gutta tincturæ concentratæ.

Duratio:—Per brevissimum quidem tempus. ($\frac{1}{12}$ — $\frac{1}{4}$ partem horæ.)

Antid.—Opium.

N. B. Antidotum est, quod contra diversissima Remedia e Plantis parata, contra Cantharides et contra multa Metalla aliasque Mineras adhibetur. Quoties aliis corporibus medicis objicitur, sæpe quidem, at parvâ quantitate dari debet. Quare duodecim tincturæ hujus guttas, vel quater vel duodecies vel vicies vel tricies intra horam unam dare convenit.

## CANCER FLUVIATILIS.

Novem attenuationes (III).

Cancrem vivum in mortario in pultem contunde ; pulti adde duplicem Spiritus Vini quantitatem, quo facto id, quod viribus medicis præditum est, inde expressum apto loco repone. Hujus liquoris guttas tres cum nona-

ginta septem Spiritus Vini guttis commisce. Hoc primam constituit attenuationem, dein ad dilutionem nonam explica.

Monendum est, vires hujus remedii nondum satis esse exploratas.

Dos.—Glob. ij. vel iij. attenuationis nonæ.

### CANNABIS. (CANNABIS SATIVA L.)

Triginta attenuationes (X).

Mensibus Maio, Junio et Julio floret.

Utere succo ex herbâ et maris et feminæ plantæ expresso. Cum pari Spiritus Vini quantitate commixtum per aliquot dies repone, ut id, quod limpidum factum est, a fæcibus possit defundi; dein dilue usque ad trigesimam attenuationem.

Dosis:—Glob. ij. trigesimæ attenuationis.

### CANTHARIDES.

(Meloë Vesicatorius L., sive Lytta Vesicatoria Fabric.)

Triginta attenuationes (X).

Quinquaginta grana scarabæorum in pulverem redactorum misce cum mille spiritus vini guttis et per hebdomadem loco frigido macera.

Unam hujus tincturæ guttam cum quingentis Spiritus Vini guttis misce. Hæc primam constituit attenuationem. Reliquas attenuationes ratione indicatâ para.

Dosis:—Glob. ij. vel iij. trigesimæ attenuationis.

Duratio :—Ultra quatuordecim dies.

Antid.—Camphora.

### CAPSICUM.

(Capsicum Annuum L.)

Novem attenuationes (III).

Viginta grana Capsularum et seminum hujus plantæ (reliquas enim partes abjicere solet) in pulverem redactorum cum quadringentis Spiritus Vini guttis misce, et per hebdomadem sepone, non ignem adhibens ; sed vas, quo liquor receptus est, quotidie bis agita.

Hujus tincturæ guttis viginti (quæ unum granum remedii continet) octoginta guttas Vini Spiritus adjice. Hoc primam constituit attenuationem atque ad nonam dilue.

Dos.—Glob. ij. vel iij. nonæ attenuationis.

Antid.—Camphoræ tinctura vires compescit.

## CARBO ANIMALIS.

Triginta attenuationes (X).

Ad parandum Carbonem Animalem corium bubulum carbonibus ardentibus interpone, ut comburatur, donec flammæ plane exstinctæ sint; quo facto corii etiamnum candentis ardorem quam primum tabulis lapideis impositis penitus reprime, ne aëris accessu nutriatur, neve Carbo in cineres mutetur.

Hujus unum granum terendo cum nonaginta novem Sacchari Lactis granis attenua ad tertiam dilutionem, deinde solve vicies septies in Vini Spiritu usque ad trigesimam.

Dosis:—In plerisque morbis glob. i. vel ij. vigesimæ quartæ; in morbis vero, ubi nervi nimis sunt irritati, glob. i. vel ij. trigesimæ.

Durat.—Per viginti, imo triginta sex dies.

Antid.—Camphora vires mitigat.

## CARBO VEGETABILIS.

Triginta attenuationes (X).

Cujuscunque ligni Carbo, qui bene et per satis longum tempus canduit, iisdem fere semper pollet viribus medicis, quare perinde est, sive petulæ sive fagorum sive aliarum

arborum ligna Carbonem suppeditaverint. Hahnemannus Carbones Betulæ adhibet.

De hoc Carbone parando idem valet, quod de Carbone Animali dictum est.

Dosis :—Glob. i. vel ij. trigesimæ attenuationis.

Durat.—Per viginti, imo triginta sex dies.

Antid.—Camphora, Arsenicum et Coffea vires ejus mitigant.

N. B. Singulare est in hoc remedio, quod, nisi in constituendâ dosi omnes regulæ homœopathiæ strenue observatæ fuerint, primis octo vel novem diebus blande tantum, modo remedii, quo ægroti quidem vexatio, non vero morbus ipse tollitur, corpus afficiat. Quod si acciderit, Camphorâ atque Crudæ Coffeæ tincturâ ejus vires exstinguendæ sunt.

## CASCARILLA.

(Croton Cascarilla L.)

Corticem hujus remedii in pulverem redactum eodem modo uti omnia corpora sicca para.

## CASTOREUM.

### (Castor Fiber L.)

Triginta attenuationes (X).

Viginti grana Castorei in pulverem redacti in quadringentis Spiritus Vini guttis intra triduum macera.

Hujus tincturæ guttis viginti octoginta guttas Vini Spiritus adjice. Hoc primam constituit attenuationem. Dein ad trigesimam dilue.

Melius est hoc modo parari: unum granum cum nonaginta novem Sacchari Lactis granis tere, et modum, quo de antipsoricis præceptum est, sequere.

Dosis:—Glob. ij. vel iij. trigesimæ attenuationis.

## CAUSTICUM.

Triginta attenuationes (X).

Huic Calx debet qualitatem causticam, quod indicia Chemicorum effugit. Destillando in hoc modo obtinetur.

Recipe duas uncias Calcis in pulverem redactas, (quod fit dum per sexagesimam horæ partem in Aquâ Destillatâ immergitur:) etiamque duas Supersulphatis Potassæ uncias, (quæ antea fervefacta, liquefacta, frige-

facta, et in pulverem redacta sit,) in duabus unciis aquæ ferventis solutas; huic Calcem in pulverem redactam misce, crassamque mixturam repone in parvâ vitreâ retortâ dimidiâ parte in aquâ immersâ. Leniter destilla, igne crescente donec transeat omnis liquor. Fluidum ita paratum (circiter uncia cum semisse) sicut aqua limpidum est et Causticum in formâ concentratâ continet: olet ut lixivium, gustum acrem habet, et sensum ardentem in gutture præbet. Minorem caloris gradum quam aqua postulat ut gelet, et putrefactionem materiæ animalis properat.

Si Murias Barytæ adjiciatur, nullum Acidi Sulphurici vestigium est; si Murias Ammoniæ, non Calcem demittit.

Granum unum hujus mixturæ cum nonaginta novem Spiritus Vini guttis misce, et ad trigesimam attenuationem usque explica.

Dosis:—Glob. i. aut ij. trigesimæ attenuationis.

Duratio:—Quinquaginta aut plures dies.

Antid.—Odor Spiritûs Ætheris Nitrici, et Tinctura Coffeæ.

## CHAMOMILLA.

### (Matricaria Chamomilla L.)

Duodecim attenuationes (IV).

A mense Junio ad Augustum colligenda est. Totam plantam adhibe, et eundem modum, quo de plantis recentibus præceptum est, sequere.

Dos.—Glob. ij. duodecimæ attenuationis.

Duratio:—Per aliquot dies.

Antid.—Coffea, Ignatia, Pulsatilla atque Aconitum.

## CHELIDONIUM MAJUS L.

Succum e radice recens expressum pari quantitate Spiritus Vini misce.

Dosis:—Gutta una tincturæ concentratæ.

## CHINA.

### (Cinchona officinalis L.)

Triginta attenuationes (X).

Utendum est non solum cortice, quæ in tenues tubos convoluta est, sed etiam Cortice Chinæ Regiâ. Utrumque in pulverem redige, atque eodem modo, uti reliqua remedia sicca, tracta.

Dosis :—Glob. i. vel ij. vigesimæ quartæ; ægrotis vero, qui valde sunt irritabiles, trigesimæ attenuationis.

Duratio : — Minoris dosis efficacitas per paucas dies, majoris per plures hebdomadas producitur.

Antid. — Ferrum, Ipecacuanha, Arnica Montana, Belladonna et Veratrum Album.

## CICUTA VIROSA L.

Triginta attenuationes (X).

Succum e radice Cicutæ Virosæ eo tempore, quo primum florere cœpit, recens expressum pari quantitate Spiritus Vini commisce, et modo plantarum recentium para.

Dosis :—Glob. ij. trigesimæ attenuationis.

Duratio :—Efficacitas hujus remedii, si vel parvam ejus adhibueris quantitatem, ad tres fere hebdomadas producitur.

## CINA.

(Semen Cinæ, Santonici, Contra; Artemisia Judaica L.)

Novem attenuationes (III).

Unam partem seminum cum viginti Spi-

ritus Vini partibus misce, et loco frigido per hebdomadem sepone: dein ad nonam attenuationem dilue.

Dosis :—Glob. ij. nonæ attenuationis.

Durat.—Per duodecim dies, et quod excurrit, majores hujus remedii doses efficaces esse solent.

## CINNAMOMUM.

### (Laurus Cinnamomum L.)

Tres attenuationes (I).

Unam contritæ Cinnamomi corticis partem in decem Spiritus Vini partibus macera; quotidie agita, postque dies octo cola: dein decem guttas cum nonaginta Spiritus Vini guttis misce. Hoc primam præbet dilutionem. Explica modo consueto ad tertiam attenuationem usque.

Dosis: — Gutt. i. primæ vel tertiæ attenuationis.

## CLEMATIS.

### (Clematis Erecta L.; Flammulà Jovis.)

Novem attenuationes (III).

Utere in medicinâ succo e foliis et caule plantæ, dum florere cœpit, expresso atque

pari Spiritus Vini quantitate commixto. Horis duodequinquaginta præterlapsis, id quod limpidum est a fæcibus delapsis separa, et ad nonam attenuationem para.

Dosis :—Glob. ij. tertiæ attenuationis in morbis chronicis; in hominibus vero, qui paulo sunt irritabiliores, nonæ.

Durat.—Ab triginta ad quadraginta dies.

Antid.—Camphora, Bryonia.

## COCCINELLA.

(Cocionella Septempunctata ; Chrysomela Septempunctata L.)

Unam partem Scarabæorum, qui vivi contundendi sunt, cum viginti Spiritus Vini partibus misce et per hebdomadem sepone.

## COCCULUS.

(Menispermum Cocculus L.)

Triginta attenuationes (X).

Unam partem seminum in pulverem contusorum cum viginti Spiritus Vini partibus misce, et lenem calorem per hebdomadem adhibe: dein ad attenuationem trigesimam dilue.

Dosis :—Glob. ij. trigesimæ attenuationis.

Duratio: — Hoc remedium, ubi majore quantitate adhibetur, per novem dies efficax sese præstat.

Antid.—Camphora vires compescit.

## COFFEA ARABICA L.

Tres attenuationes (I).

Drachmam seminum Coffeæ Arabicæ optimorum in lebete ferreo, qui mediocriter calet, in pulverem redige; quod dum fit, massa aliquoties spathulâ corneâ versetur necesse est. Pulveri ita parato in vase vitreo duodecim drachmas Spiritus Vini adfunde. Octo diebus præterlapsis liquorem ab eo, quod decidit, separa. Pulverem, qui in imo vase hæret, pressu ab omni humore liberatum in retortâ vitreâ cum quatuor unciis Aquæ Destillatæ eo usque coque, donec uncia una restet; liquorem colatum cum tincturâ spirituosâ commisce. Hujus mixturæ guttas viginti guttis Spiritus Vini octoginta commisce atque bis agita. Hoc primam constituit attenuationem.

Medici recenter hoc remedium modo antipsorico parant et ad trigesimam attenuati-

onem explicant, quo medicinæ vis non perdi sed augeri videtur.

Dosis : — Glob. ij. vel iij. trigesimæ attenuationis.

Antid.—Aconitum Napellus, Nux Vomica, Chamomilla, Ignatia.

### COLCHICUM AUTUMNALE L.

Quindecim attenuationes (V).

Bulbos verno tempore terræ exemtos, dum recentes sunt, purga et deinde ad modum plantarum recentium tracta.

Dosis :—Glob. ij. vel iij. nonæ vel duodecimæ vel decimæ quintæ in morbis acutis, tertiæ vero vel sextæ attenuationis in chronicis.

Duratio :—Per plures hebdomadas.

### COLOCYNTHIS.

(Cucumis Colocynthis L.)

Triginta attenuationes (X).

Fructus in pulverem redactos sine caloris ope para eodem modo, quo de plantis siccis indicatum est, et per hebdomadem sepone : quotidie bis agita et dein ad trigesimam attenuationem dilue.

Dosis:—Glob. ij. vel iij. vigesimæ quartæ vel trigesimæ attenuationis.

Durat.—Ab triginta ad quadraginta dies.

Antid.—Causticum Chamilla.

### CONIUM MACULATUM L.

Triginta attenuationes (X).

Folia et caulem plantæ florentis adhibe, et eundem modum, quo de recentibus plantis præceptum est, sequere.

Dos.—Glob. ij. trigesimæ attenuationis.

Dur.—Ab triginta ad triginta quinque dies.

Antid.—Potus Coffeæ, Spiritus Ætheris Nitrici.

### COPAIVÆ BALSAMUM.

(Copaifera officinalis L.)

Guttam cum nonaginta novem Spiritus Vini partibus solve.

Dosis:—Glob. ij. vel iij. tincturæ concentratæ.

### CORALLIA RUBRA.

(Isis Nobilis L.)

Triginta attenuationes (X).

Explica ad trigesimam attenuationem, eodem modo quo antipsorica tractantur.

Dosis :—Glob. i. aut ij. trigesimæ attenuationis.

### CROCUS SATIVUS L.

Sex attenuationes (II).

Melius est Crocum, qui in hortis crescit, non adhibere, quia parvas vires medicas habet. Crocus Orientalis vel Crocus de Gatincis adhiberi debent, et solum stigmata siccata.

Eundem modum, quo de antipsoricis præceptum est, sequere.

Dosis :—Glob. ij. sextæ attenuationis.

Antid.—Opium.

### CROTON TYGLIUM L.

Quindecim attenuationes (V).

Parti uni seminum contusorum viginti partes Spiritus Vini adfunde, et aliquot diebus post tincturam defunde.

Oleum Crotonis eodem modo, uti remedia antipsorica, cum Saccharo Lactis ad tertiam attenuationem dilue, deinde cum Spiritu Vini usque ad quintam decimam.

### CUPRUM METALLICUM L.

Triginta attenuationes (X).

Granum hujus metalli unum in lapide te-

nerioris compagis sub aquâ tere, et inde attenuationes modo remediorum antipsoricorum para.

Dosis :—Glob. ij. duodevigesimæ vel vigesimæ quartæ vel trigesimæ attenuationis secundum morborum atque ægrotorum naturam.

Duratio: —Spatio quindecim dierum, vel trium hebdomadum.

Antid.—Semina Cocculi, Nux Vomica, Hepar Sulphuris, Ipecacuanha, Hydrargyrum, Belladonna, Dulcamara, et China.

Remedium ratione indicatâ paratum Cuprum Aceticum superfluum reddit, cujus tamen, ne quid a lectore desideretur, hic mentio fiet.

Acido Acetico puro æruginem viridem eo solve, quoad nihil amplius recipi possit; quo facto Acidum leni igne dissipa, atque crystallos virides interim conflatos chartâ bibulâ sicca, siccatosque repone.

Attenuationes hujus remedii eodem modo obtinentur, qui in superiore remedio indicatur.

## CYCLAMEN EUROPÆUM L.

Quatuor attenuationes $(\frac{1}{I})$.

Succum e recenti radice expressum atque pari quantitate Spiritus Vini commixtum tincturis parandis adhibe, et ad quartam attenuationem explica.

Dosis:—Glob. ij. quartæ attenuationis.

## DIGITALIS PURPUREA L.

Triginta attenuationes (X).

Mense Maio, antequam floret, est colligenda.

Folia tantum adhibe et quam maxime recentia exprime. Eundem modum, quo de plantis recentibus præceptum est, sequere; dein ad trigesimam attenuationem dilue.

Dosis:—Glob. ij. decimæ quintæ attenuationis in plerisque morbis, trigesimæ vero in morbis acutis atque ægrotis, qui valde sunt irritabiles.

Duratio:—Dosis tam parva efficacitatem suam per plures dies, major vero, quam par est, per sex hebdomadas conservare solet.

Antidotus:—Opium.

## DULCAMARA.

### (Solamen Dulcamara L.)

Viginti quatuor attenuationes (VIII).

Succum e teneris ramis et foliis plantæ, quæ florere cœpit, expressum secundum regulas promulgatas para atque attenuationes inde confectas bis agita.

Dosis:—Glob. ij. vel iij. vigesimæ quartæ attenuationis.

Duratio:—Hoc remedium, quod vel parvâ quantitate adhibitum per duodecim fere dies efficax est, si majore datur ægrotis quantitate, per quadraginta dies efficacitatem suam retinet.

## EUGENIA IAMBOS L.

Triginta attenuationes (X).

Nucleos hujus fructus ad massam contunde, mixtosque cum decem Spiritus Vini partibus, per hebdomadem macera; quo facto, limpidum liquorem defunde. Decem guttas hujus fluidi (quod unum granum virtutis medicinalis continet) cum nonaginta Spiritus Vini guttis misce. Hoc primam præbet attenuationem. Reliquas modo consueto ad trigesimam usque para. (Hering.)

Dosis:—Non amplius quam i. aut ij. glob. trigesimæ attenuationis.

Duratio:—Magnæ ejus doses raro ultra diem tertiam extendunt.

Antid.—Potus Coffeæ mitigat ejus vires.

### EUPHORBIA OFFICINARUM L.

Triginta attenuationes (X).

Gummi Euphorbium eodem modo para, uti corpora, quæ in pulverem rediguntur; unam quidem partem ter cum nonaginta novem Sacchari Lactis commisce, et ad trigesimam attenuationem dilue.

Dosis:—Glob. ij. vigesimæ quartæ attenuationis in morbis chronicis, trigesimæ vero in acutis.

Durat.—Per duodequinquaginta dies.

Antid.—Frequens usus Succi Citreorum vel Camphora.

### EUPHRASIA OFFICINALIS L.

Triginta attenuationes (X).

Mense Julio colligenda est, namque serius tenacior fit atque lentior, ita ut necesse sit, priusquam succus exprimi possit, herbam

serius collectæ plantæ primum in pultem tenuem contundere, atque deinde aliquid Spiritus Vini, quo attenuetur, adfundere.

Eundem modum, quo in plantibus recentibus, sequere et ad trigesimam dilutionem explica.

Dosis:—Glob. ij. trigesimæ attenuationis.

### EVONYMUS EUROPÆUS L.

Sex attenuationes (II).

Fructus, dum rubescunt, quod fit mense Augusto, exprime. Cum vero parcus iis insit succus, priusquam contundantur, aliquid Spiritus Vini admisce; deinde tres hujus tincturæ guttas cum nonaginta septem guttis Vini Spiritus misce. Hoc primam constituit attenuationem. Deinde ad sextam dilutionem para.

Dos.—Glob. ij. vel iij. sextæ attenuationis.

### FABA PICHURIM.

(Laurus Pichurim; Lauraster Ambiensis Rumph.)

Tres attenuationes (I).

Viginti Spiritus Vini partes uni Fabarum

parti adfunde et ad tertiam dilutionem attenua.

N.B. Tinctura est rubri coloris in fuscum vergentis.

## FERRUM METALLICUM.

Triginta attenuationes (X).

Granum Ferri unum in lapide tenerioris compagis sub aquâ tere, et eodem modo, quo remedia antipsorica, usque ad trigesimam attenuationem para.

Dosis:—Glob. ij. vel ij. trigesimæ attenuationis.

N.B. Ad Ferrum Aceticum parandum filum Ferri carbonibus ardentibus calefaciendum tenuissimum atque calidum in Acido Acetico ponendum est, quo fit, ut paulatim solvatur. Acido ignis ope fugato id, quod remanet, siccandum est. Hujus etiam remedii primæ attenuationes cum Saccharo Lactis conterendæ sunt.

Dosis:—Glob. ij. trigesimæ attenuationis.

Duratio:—Magnæ ejus doses et frequenter repetitæ per plures menses efficaces esse solent, quin etiam parvæ per plures dies efficacitatem suam retinent.

Antid.—Morbi diuturni, quos Ferri usus provocavit, partim Hepate Sulphuris, partim Pulsatillâ curantur. Hepatis Sulphuris quarta attenuatio vel septima bis vel ter dari solet.

## FILIX MAS.

(Aspidium Filix Mas Spreng. Willd. Polypodium Filix Mas L.)

Novem attenuationes (III).

Succo, dum exprimitur e plantâ, ut attenuetur, Spiritus Vini adfunde. Hujus tincturæ ad parandam primam attenuationem guttas tres adhibe; dein ad dilutionem nonam explica.

Dos.- Glob. ij. vel iij. nonæ attenuationis.

## GRAPHITES.

(Plumbago.)

Triginta attenuationes (X).

Ut Graphites pura sit, dulci aquâ per horam unam coque: tum aquâ defusâ pari Acidi Muriatici et Nitrici quantitate et duabus aquæ dulcis partibus macera, sæpe per horas viginti quatuor movens. Tum liquorem defunde, et bene lavatum sicca.

Hoc remedium eodem modo, uti remedia antipsorica, para.

Dosis:—Glob. ij. vel iij. duodevigesimæ, vel vigesimæ quartæ, vel trigesimæ attenuationis.

Duratio:—Ad duodequinquaginta dies.

Antid.—Arsenicum, Nux Vomica, Vinum.

## GRATIOLA OFFICINALIS L.

Duodecim attenuationes (IV).

Mense Junio, quo florere cœpit, colligenda est.

Plantam totam exprime, et ad duodecimam dilutionem modo plantarum recentium explica.

Dosis:—Glob. i. vel iij. sextæ, nonæ vel duodecimæ attenuationis.

## GUAJACI GUMMI.

(Guajacum Officinale L.)

Unam partem hujus Resinæ viginti partibus Spiritus Vini solve.

Dosis:—Tincturæ concentratæ gutta integra in aquæ tepidæ unciam unam infusa bene agitetur.

Duratio:—Ultra triginta quinque dies.

## HELLEBORUS NIGER L.

Duodecim attenuationes (IV).

Optima atque efficacissima est, quum mense Decembri colligitur.

Radicem recentem pariter atque siccam secundum regulas sæpius promulgatas para.

Dosis:—Glob. ij. nonæ attenuationis.

Duratio:—Per plures hebdomadas.

Antid.—Symptomata, quæ primum provocat, Camphorâ, secunda autem atque pejora optime Chinâ compescuntur.

## HYOSCYAMUS NIGER L.

Duodecim attenuationes (IV).

Mensibus Maio, Junio, Julio et Augusto colligenda est.

Succum recens expressum eodem modo, uti succi plantarum recentes, para et ad dilutionem duodecimam attenua.

Dos.—Glob. ij. duodecimæ attenuationis.

Antid.—Mala, quæ subinde provocat, symptomata forti Camphoræ solutione, naribus admota, compescuntur.

## JACEA.

### (Viola Tricolor L.)

Duodecim attenuationes (IV).

Mensibus Martio, Aprili et Maio colligenda est.

Succum e teneris hujus plantæ annuæ foliis exprime eumque æquis Spiritus Vini partibus commisce: dein ad duodecimam dilutionem attenua.

Dos.—Glob. ij. duodecimæ attenuationis.

## JALAPPA.

### (Convolvulus Jalappa L.)

Sex attenuationes (II).

Unam radicis in pulverem redactæ partem cum viginti Spiritus Vini partibus commisce; tum sepone per hebdomadem et quotidie bis agita: dein a fæcibus, si quæ sint, liquorem purum et limpidum effunde.

Viginti hujus tincturæ guttas cum octoginta Spiritus Vini guttis misce. Hoc primam constituit attenuationem; dein ad sextam dilutionem explica.

Dosis:—Glob. ij. tertiæ vel sextæ attenuationis.

Duratio:—Ultra octo dies.

## JATROPHA CURCAS.

Triginta attenuationes (X).

Succum recentem cum pari Spiritus Vini quantitate misce, et modo plantarum recentium para. Cum Spiritu Vini dilue usque ad trigesimam attenuationem.

N. B. Si planta recens non obtineri possit, tum eundem modum, quo de plantis siccis præceptum est, sequere.

Dosis :—Glob. i. vel ij. trigesimæ attenuationis.

## IGNATIA AMARA L.

(Faba St. Ignatii.)

Duodecim attenuationes (IV.)

Dum hæc semina in pulverem rediguntur, mortarium perpetuo aquâ calidissimâ circumda, ut continuo mediocriter caleat, aliter enim hic labor paulo difficilior fuerit. Dein ter cum Saccharo Lactis et novies cum Spiritu Vini attenua, ut in remediis antipsoricis.

Dosis :—Glob. i., ij. vel iij. nonæ vel duodecimæ attenuationis.

Durat.—Efficacitas remedii spatio nonnullorum dierum circumscripta est, interdum

tamen ultra hoc tempus, imo ad novem dies producitur.

Antid.—Coffea, Pulsatilla, Chamomilla, et nonnunquam Cocculus, Arnica, Camphora atque Acetum.

## INDIGOFERA TINCTORIA L.

Triginta attenuationes (X).

Unum granum Indigoferæ cum centum Sacchari Lactis granis per horam unam tere; eandem regulam sequere ad tertiam dilutionem: tunc ad trigesimam attenuationem explica cum Vini Spiritu.

Dosis:—Glob. ij., iij. aut iv. trigesimæ attenuationis.

Duratio:—Circiter decem aut duodecim dies. (Hartlaub et Trinks.)

## JODIUM.

Triginta attenuationes (X).

Ad hoc corpus medicum obtinendum fucorum combustorum cineres aquâ infunde, ut sales, qui huic lixivio insunt soluti, conflari possint. Liquorem superstitem, quo Natrum et Jodium, quæ non in crystallos abeunt, continentur, igni, ut aquosæ partes

discedant, admove, atque deinde Acido Sulphurico forti commisce. Hanc mixturam, ut quantumcumque ei inest Acidi Muriati expellatur, leni calori expone. Deinde vero, Manganesio addito, retortæ immissam fortiore igne calefac; hac enim ratione fit, ut Jodium a reliquis corporibus discedat, atque in vapores violaceos mutatum sursum feratur. Hi vapores superioribus lagenæ parietibus squamarum instar, quæ cœruleo in fuscum vergente colore tinctæ sunt, adhærescunt, atque exemtæ in officinis venduntur.

Pulveris hujus remedii granum unum eodem modo, uti remedia antipsorica, tracta, atque ad dilutionem trigesimam explica.

Dosis:—Glob. iij. vel iv. trigesimæ attenuationis.

Duratio:—Ultra quadraginta dies.

## IPECACUANHA.

(Cephaëlis Ipecacuanha Willd., Psychotria Emetica L.)

Tres attenuationes (I).

Eundem modum, quo de plantis siccatis præceptum est, sequere.

Dos.—Glob. ij. vel iij. tertiæ attenuationis.

Durat.—Efficacitas parvæ hujus remedii quantitatis aliquot horarum, magnæ vero paucorum dierum spatio circumscripta est.

## JUNCUS PILOSUS L.

Una attenuatio (I).

Ejus tantum radice in medicinâ utere.

Quum prelo subjecta parcum modo succum largiatur, Spiritum Vini adfunde et in tenuem pultem redige: dein succum exprime.

Tres guttas cum nonaginta septem Spiritus Vini guttis misce et brachio bis agita. Hoc primam constituit attenuationem.

Dosis:—Glob. ij. vel iij. primæ attenuationis.

## KALI CARBONICUM.

Triginta attenuationes (X).

Recipe dimidiam unciam puri Tartari Vini, et in massam factum paucarum aquæ guttarum ope, chartâ sicca: in vase ferreo super ignem pone donec candeat: dein in vase porcellaneo, quod lino tegitur, et in loco humido sepone: illic humorem aëris attrahit, quo Potassa partim fluida fit, et aliquot post hebdómadas ultimas calcis particulas demittit.

Tere unam limpidam guttam cum centum Sacchari Lactis granis ter, et attenua vicies septies cum Vini Spiritu ad trigesimam dilutionem.

Dosis :—Glob. i. aut ij. trigesimæ attenuationis.

Durat.—Per triginta aut quadraginta dies.

Antid.—Odor Spiritus Ætheris Nitrici, Tinctura Coffeæ et Camphora.

## KALI HYDRIODICUM.

Triginta attenuationes (X).

Misce duas Jodii partes cum unâ puræ Limæ Ferri parte et octo aquæ partibus. Hæc mixtura parvo cum calore fluidum fuscum præbet; huic lenem calorem adjice donec purificetur: colatum et fervefactum misce cum Potassæ Carbonate donec omne ferrum demittit. Ut amoveatur quod Potassæ supersit, paulum Acidi Hydriodici adjice. Liquor nunc est Kali Hydriodicum. Quum colatum et caute consumptum sit donec fiant crystalli, collige et sicca.

Tere unum crystallorum granum per horam unam cum nonaginta novem Sacchari

Lactis granis ter: deinde cum Spiritu Vini usque ad trigesimam dilutionem attenua.

Dosis :—Glob. i. aut ij. trigesimæ attenuationis.

## KALI NITRICUM. NITRUM.

Triginta attenuationes (X).

Unam Nitratis Potassæ partem in duabus aquæ ferventis partibus solve huicque liquorem Carbonatis Potassæ adjice, quamdiu aliquid demittatur: dein cola per chartam bibulam, quæ carbone in pulverem redacto ad cultelli posterioris partis crassitudinem sternitur: consume donec crystalli fiant et loco frigido sepone. Ne Acidum Muriaticum restet, paucas liquoris Nitratis argenti guttas adjice.

Recipe unum Potassæ Nitratis purificatæ granum et ter cum Saccharo Lactis attenua ad tertiam dilutionem usque: deinde ad trigesimam cum Vini Spiritu.

Dosis :—Glob. i. aut ij. trigesimæ attenuationis.

Antid.—Odor Spiritus Nitri Dulcis compescit; Camphora autem auget.

## LACHESIS.

### (Trigonocephalus Lachesis.)

Triginta attenuationes (X).

Hoc medicamentum invenit Dr. Hering prope oppidum Paramaribo in Surinam. Ex serpente, paulo ante stupefacto, venenum obtinuit: idque expressum e sacco, qui ad dentes hæret, contendit, esse gravius quam veneno Crotali Horridi: est salivæ simile, sed minus viscosum: pellucidum, limpidum et colorem cœruleum habet. Dentis acie facile in guttas format, etiam minores quam Spiritus Vini guttæ. In Saccharo Lactis facile absorbetur. Si Spiritu Vini misceatur cum aut sine Saccharo, non coagulat, sed solum parvos floccos format. Secundum Hering, tere decem guttas cum centum Sacchari Lactis granis per horam unam: hujus mixturæ decem grana cum nonaginta Sacchari Lactis granis misce: hoc attenuationem constituit primam. Unum hujus granum tere cum centum Sacchari Lactis granis: hoc attenuationem constituit secundam. (Hac et primâ dilutione Hering experimenta fecit.) Granum unum tere iterum cum nonaginta novem

Sacchari Lactis granis et attenua modo consueto Spiritu Vini ad trigesimam dilutionem.

Dosis :—Glob. ij. trigesimæ attenuationis

### LACTUCA VIROSA L.

Duodecim attenuationes (IV).

Mensibus Junio, Julio et Augusto, dum floret, colligenda est.

Succum e totâ plantâ exprime, et ad duodecimam attenuationem dilue.

Dos.—Glob. ij. duodecimæ attenuationis.

### LAMIUM ALBUM L.

Succum e totâ plantâ expressum pari Spiritus Vini quantitate commisce.

### LEDUM PALUSTRE L.

Quindecim attenuationes (V).

Ledum Palustre siccatum adhibe, et statim in pulverem redactum cum viginti partibus (pondere) Spiritus Vini misce : dein per octo dies sepone, et ad quintam decimam attenuationem dilue.

Dosis :—Glob. i. vel ij. decimæ quintæ attenuationis.

Durat.—Magnæ doses ad quatuor fere hebdomadas efficaces sese præstant.

Antidotus :—Camphora.

### LOLIUM TEMULENTUM L.

Quindecim attenuationes (V).

Succum recens e totâ plantâ expressum æquis Spiritus Vini partibus commisce.

Dos.—Gl. ij. quintæ decimæ attenuationis.

### LYCOPERDON BOVISTA L.

Triginta attenuationes (X).

Pulverem subtilissimum in plantæ maturæ interiore parte (quæ in Augusto et Septembre legi debet) tere ter cum Saccharo Lactis et attenua modo medicamentorum antipsoricorum ad trigesimam dilutionem.

Dosis :—Glob. i. aut ij. trigesimæ attenuationis.

Duratio :—Per quinquaginta dies.

Antidotus :—Camphora.

### LYCOPODII POLLEN.

(Lycopodium Clavatum L.)

Triginta attenuationes (X).

Non raro cum aliis plantis, e. gr. cum flo-

ribus Coryli, Pinus, et Abietis, in pulverem redactis mixtum est, et tunc minus subtile est : si flores Pinus aut Abietis adsint, facile per odorem detegi possunt. Interdum etiam adest Amylum et alii pulveres, qui ad colorem Lycopodii imitandum Curcumâ tinguuntur. Si liquor Potassæ infundatur, rubra fiunt. Si Calx in pulverem redacta adsit, color est luteus, et flavus, magni ponderis, in aquâ ad fundum subsidit, et si acidum infundatur, bullulas emittit.

Hunc pulverem remediorum antipsoricorum ratione ad dilutionem trigesimam explica.

Dosis :—In morbis chronicis glob. i. vel ij. duodevigesimæ attenuationis ; ægrotis vero, qui valde sunt irritabiles vel debiles, vigesimæ quartæ vel trigesimæ.

Durat.—Per quadraginta, imo quinquaginta dies vel ultra.

Antid.—Camphora et Pulsatilla.

## MAGNESIA CARBONICA.

Triginta attenuationes (X).

Ad hoc remedium obtinendum, Magne-

siam Sulphuricam aquâ solve atque solutioni Kali Carbonicum adde; quo fit, ut Acidum Carbonicum se conjungat cum Magnesiâ. Quod sal, ut purum reddatur, primum aquâ ablue, deinde vero chartâ bibulâ humore libera et sicca.

Granum ejus addito Saccharo Lactis, ad dilutionem tertiam attenua. Hujus attenuationis granum unum Spiritu Vini aquoso solutum bis agita, deinde vero reliquas attenuationes adfuso Spiritu Vini purissimo para.

Dosis:—Glob. i., ij. vel iij. duodecimæ, decimæ quintæ, vel duodevigesimæ attenuationis; ægrotis vero, qui valde sunt irritabiles, vigesimæ quartæ vel trigesimæ.

Duratio:—Per quadraginta ad quinquaginta dies.

## MAGNESIÆ MURIAS.

Duodeviginti attenuationes (VI).

Ad hoc remedium obtinendum Acido Muriatico, quale Sal Culinare cum pari quantitate Acidi Phosphorici ejusque, postquam liquefactum fuerat, aëre libero in liquorem oleo similem dilapsi destillando comparatur, tantum Magnesiæ solvitur, quantum

calore ad **212°** Fahr. accedente in se recipere potest; quo facto, lixivium etiamnum calidum cola atque pari calore sicca. Magnesiam Muriaticam, quæ facile liquescit, lagenâ bene obturatâ repone.

Eundem modum, quo de antipsoricis præceptum est, sequere.

Dosis:—Glob. iij. vel iv. sextæ attenuationis; multis tamen occurrunt morbis, in quibus duodecimæ vel duodevicesimæ.

Duratio:—Per quadraginta, imo per quinquaginta dies.

Antid.—Camphora, naribus admota, vires supprimit.

## MAGNESIA SULPHURICA.

### (Sulphas Magnesiæ.)

Unum crystallorum granum cum nonaginta novem Sacchari Lactis granis tere ter, et cum Spiritu Vini modo antipsoricorum dilue.

## MANGANESIUM.

### (Mangnesium, Manganum Aceticum.)

Triginta attenuationes (X).

Manganesium seu Oxydum Manganesii Nigrum cum pari pondere Ferri Sulphurici

purissimi in paterâ exacte contere, atque deinde parvâ syrupi e Saccharo confecti quantitate commixtum in globos, qui magnitudine suâ ova gallinacea æquent necesse est, redige. Hos globos inter carbones ardentes fortiter calefac, ita ut aliquamdiu candeant. A carbonibus remotos solve aut aquâ purâ et destillatâ, aut pluviatili; liquori insunt Oxydum Manganesii atque Oxydum Ferri. Manganesium Carbonicum natro e limpido et claro liquore præcipitatum atque aquâ satis ablutum pulverem album refert, qui Aceto Destillato ignis ope solvi debet, donec Acetum Manganesio saturatum est, quod cognoscitur, si aliquot pulveris particulæ in imo vase hærent. Liquorem (Manganesium Aceticum) calore ita inspissatum, ut syrupum æquet, attenuationibus parandis adhibe.

Consultius est, modo remedium parandi indicato illum præferre, qui in remediis antipsoricis adhibetur.

Dosis :—Glob. i. vel ij. trigesimæ attenuationis.

Duratio :—Parvæ doses ultra quadraginta dies efficaces esse solent.

Antidotus :—Coffea.

## MENYANTHES TRIFOLIATA L.

### (Trifolium Fibrinum.)

Tres attenuationes (I).

Succum e totâ plantâ, dum florere cœpit, quod fit mensibus Maio et Junio, recens expressum cum pari Spiritus Vini quantitate commisce et ad tertiam attenuationem dilue.

Dosis :—Glob. ij. tincturæ concentratæ in plerisque morbis : alteræ vel tertiæ attenuationis delicatulis hominibus atque infantibus.

## MERCURIUS VIVUS.

### (Hydrargyrum, Argentum Vivum.)

Sex attenuationes (II).

Ad purgandum Hydrargyrum liquidum, plerumque Plumbo et Bismutho vitiatum, in paterâ porcellaneâ, infusâ solutione Hydragyri Nitrici, coque per horam integram ; quod dum fit, liquidas partes, quæ avolarunt, continuo restitue. Hoc modo liquor acidâ suâ parte Plumbum et Bismuthum recipit,

misso facto Hydrargyro, quod conjungitur cum eo Hydrargyro, cujus purgatione occupamur.

Recipe unum Mercurii Vivi granum et cum nonaginta novem Sacchari Lactis misce; hoc fiat ad tertiam dilutionem. Granum hujus unum in Spiritu Vini aquoso solve et ad sextam attenuationem in Spiritu Vini fortiori dilue.

Dos.—Glob. ij. vel iij. sextæ attenuationis.

Duratio :—Ab quindecim ad viginti unum dies.

Antidot.—Asafœtida, Camphora, China, Mezereum, Vis Electrica, Hepar Sulphuris, Acidum Nitri, Opium, Sassaparilla, et Sulphur.

### MERCURIUS SOLUBILIS HAHNEMANNI GRISEUS.

Duodecim attenuationes (IV).

Hydrargyrum, uti modo indicatum est, purgatum, Acido Nitrico sine caloris ope intra plures dies solve. Hydrargyrum Nitricum, quod hac ratione nascitur, chartâ bibulâ sicca; deinde vero in mortario vitreo, additâ quartâ Spiritus Vini optimi parte, per

horam dimidiam contere, contritumque a Spiritu Ætheris Nitrici interim orto separa. Quo facto, per horam dimidiam cum Spiritu Vini contere ; hoc sæpius repete, donec Spiritus Vini odore suo nullum Spiritus Ætheris Nitrici vestigium prodat. Dein sal, defuso Spiritu Vini atque chartâ bibulâ suppositâ, pressu, quem ponderibus insuper additis augere potest, ab omni humore libera. Postremo, sal ita siccatum cum duplici aquæ destillatæ quantitate per quartam horæ partem in mortario contere, et limpido liquore defuso, id salis, quod relictum est, iterum cum aquæ eâdem quantitate contere, iterumque limpidum liquorem defunde, ut illi, qui primum defusus est, admisceri possit. Hâc viâ omne id, quod inerat sali adhibito, Hydrargyri Nitrici perfecte saturati ejusque purissimi aquâ solutum est, id vero quod non solutum remanet, mixtum est e Hydrargyri Muriatico et Sulphurico.

Ex hoc liquore addito Ammonio Caustico Hydrargyrum Oxydulatum nigri in cinereum vergentis coloris et purissimum decidit, quod puritate suâ æquat Æthiopem per se, quem

vocant, longâ agitatione Mercurii Vivi purissimâ paratum.

Attenua ut in remediis antipsoricis ad dilutionem duodecimam.

Dosis:—Glob. ij. vel iij. duodecimæ attenuationis.

## MERCURIUS CORROSIVUS.

(Mercurius Corrosivus Sublimatus, Hydrargyrum Muriaticum Corrosivum.)

Quindecim attenuationes (V).

Tres partes Hydrargyri puri cum quinque partibus Acidi Sulphurici fortissimi e retortâ vitreâ, donec nihil liquidæ materiæ supersit, destilla; Sal Album, quod remanet, pari quantitate Salis Culinaris contere atque hanc mixturam sublima.

Hoc remedium eodem modo, uti antecedentia, attenua, et quidem ad dilutionem decimam quintam.

Dosis:—Glob. ij. decimæ quintæ attenuationis.

Dura.—Per quindecim dies, imo per tres hebdomadas.

Antid.—Hepar Sulphuris, Sulphur, Cam-

phora, Opium, China, Acidum Nitri; veneficiis continuo Mercurii usu factis atque lentis præterea Vis Electrica opponenda est.

### MEZEREUM.

### (Daphne Mezereum L.)

Quindecim attenuationes (V).

Succum primo vere e cortice plantæ, dum flores suos aperit, et quidem mensibus Februario, Martio et Aprili recens collectæ expressum, et cum pari quantitate Spiritus Vini commixtum, ad dilutionem quintam decimam attenua.

Dosis:—Glob. ij. decimæ quintæ attenuationis; paucis autem morbis fortiore attenuatione utendum est.

Duratio:—Sex vel septem hebdomadum spatio.

Antid.—Camphora et Oxydulum Mercurii Nigrum.

### MILLEFOLIUM.

### (Achillea Millefolium L.)

Succum herbæ juvenis inde a mense Junio ad Octobrem, quo tempore floret planta, expressum pari quantitate Spiritus Vini commisce.

## MOSCHUS.

### (Moschus Moschiferus L.)

Triginta attenuationes (X).

Decem Moschi bene contriti grana cum ducentis Spiritus Vini misce, et per plures dies sæpe agita; dein ad trigesimam attenuationem dilue.

N. B. Melius est eundem modum ut in antipsoricis sequi.

Dosis :—Glob. ij. vel iij. trigesimæ attenuationis.

## NATRUM.

Duodecim attenuationes (IV).

Granum crystallorum hujus salis eodem modo, uti remedia antipsorica, ad dilutionem duodecimam attenua.

Dosis:—Glob. ij., iij. vel iv. duodecimæ attenuationis.

Duratio :—Per triginta dies, vel triginta duos, vel triginta sex, imo per plures.

Antidotus :—Camphora.

## NATRUM MURIATICUM.

Triginta attenuationes (X).

Solve unam drachmam Muriatis Sodæ in

tribus drachmis Aquæ Destillatæ: cola et calore gradûs 122$^{mi}$ (Fahren.) consume donec crystalli fiant; dein chartâ bibulâ sicca. Recipe unum crystallorum siccorum granum, et modo remediorum antipsoricorum para cum Saccharo Lactis usque ad tertiam attenuationem, et cum Vini Spiritu ad trigesimam.

Dosis:—Glob. i. aut ij. trigesimæ attenuationis.

Duratio:—Ultra quadraginta dies.

Antid.—Camphora et Odor Spiritus Ætheris Nitrici.

## NATRUM SULPHURICUM.

Triginta attenuationes (X).

Hoc vulgo Sal Mirabile Glauberi appellatum obtinetur, dum Sal Ammoniacum fit. Recipe unum Sulphatis Sodæ granum et modo remediorum antipsoricorum cum centum Sacchari Lactis granis ad tertiam attenuationem, et cum Vini Spiritu usque ad trigesimam explica.

Dosis:—Glob. i. aut ij. trigesimæ attenuationis.

## NERIUM OLEANDER L.

Sex attenuationes (II).

Unciam foliorum recentium, dum planta florere cœpit, quod fit mensibus Julio et Augusto, decerptorum atque in parva frusta dissectorum in mortario primum tantâ Spiritus Vini quantitate, quantâ opus est ad pultem ex iis parandam, imbue; deinde vero cum reliquâ Spiritus Vini quantitate, quæ cum priore unciam debet conficere, ad hanc pultem diluendam commisce. Succum inde expressum per aliquot dies loco apto repone, ut fæces atque albumen, quibus refertus est, considere possint; quo facto, laticem supernatantem, qui viridis est coloris, defunde. Guttam ejus cum centum Spiritus Vini guttis bis agita. Hoc primam constituit attenuationem, deinceps ad dilutionem sextam explica.

Dosis:—Glob. ij. sextæ attenuationis.

## NICCOLUM.

Triginta attenuationes (X).

Ad Niccolum ex corporibus extraneis (scil.

ex ferro aut cobalto, &c.) purgandum solve in Acido Sulphurico diluto, et consume donec siccum restet. Solve iterum ter aut quater in eodem acido et vaporet liquor donec sal exsiccetur; dein solve in Liquore Ammoniæ.* Consumptum donec siccum restet, misce cum tertiâ aut quartâ parte sui ponderis fluxûs nigri et in crucibulo positum magni gradus calorem applica per $\frac{1}{2}$ aut $\frac{3}{4}$ horæ.

Terendo unum Niccoli granum cum nonaginta novem Sacchari Lactis granis para usque ad tertiam attenuationem; solve vicies septies in Vini Spiritu usque ad trigesimam modo antipsoricorum.

Dosis:—Glob. i. aut ij. trigesimæ attenuationis.

## NUX MOSCHATA.

### (Myristica Officinalis L.)

Tres attenuationes (I).

Unam partem Nucum Moschatarum in pulverem redactarum cum viginti Spiritus

* In Liquore Ammoniæ non debet esse Acidum Carbonicum: hoc facile scire potest si non demittit quum Murias Calcis adjiciatur.

Vini partibus misce et per hebdomadem sepone; quotidie bis agita.

Guttas ejus viginti cum octoginta Spiritus Vini guttis commisce. Hoc primam præbet attenuationem; dein ad dilutionem tertiam attenua.

Dosis :—Glob. ij. tertiæ attenuationis.

## NUX VOMICA.

### (Strychnos Nux Vomica L.)

Triginta attenuationes (X).

Quinquaginta grana seminum Nucis Vomicæ in mortario marmoreo tenuem in pulverem redactorum cum mille Spiritus Vini guttis misce, et sine calore per hebdomadem sepone.

Hujus guttam unam cum quingentis Spiritus Vini guttis misce. Hoc secundam constituit attenuationem. Dein ad dilutionem trigesimam attenua.

N. B. Hahnemannus nuper voluit ut ad hoc remedium obtinendum idem modus quo in antipsoricis adhiberi debeat.

Dosis :—Glob. ij. trigesimæ attenuationis in plerisque morbis, et raro quidem decimæ quintæ, duodevigesimæ vel vigesimæ quartæ.

Duratio:—Magnæ doses per quindecim, minores vero ad octo vel duodecim dies efficacitatem suam retinent.

Antid.—Vinum, Spiritus Vini, Camphora, Coffea, Cocculus, Aconitum Napellus, et Chamomilla.

## ŒNANTHE CROCATA L.

Hoc corpus eodem modo, quo antipsorica, tracta.

## OLEUM ANIMALE ÆTHEREUM.

Triginta attenuationes (X).

Purga rectificando Oleum Empyreumaticum; quod paratur, dum destillet Ammonia ex corporibus animalibus; limpidum et ex aëre seclusum debet esse. Si non immisceantur Olea Vegetabilia, gutta super chartam cadens in cubiculo calido consumetur sine notâ. Ut Olea Volatilia Vegetabilia (viz. Ol. Terebinthinæ) amoveantur, misce cum duplice Spiritûs Vini quantitate et concute optime; cola per chartam bibulam, quæ primum in Spiritu Vini est immissa. Oleum Animale purum manet, et Spiritus Vini guttatim permanat simul cum Oleis Vegetabilibus.

Tere unam guttam cum centum Sacchari Lactis granis ter, et para cum Spiritu Vini usque ad trigesimam attenuationem.

Dosis:—Glob. i. aut ij. decimæ octavæ, vigesimæ quartæ, et trigesimæ attenuationis.

## OLEUM TEREBINTHINÆ.

Triginta attenuationes (X).

Tere unam Olei Rectificati Terebinthinæ guttam cum centum Sacchari Lactis granis: repete iterum et denuo: dein para cum Vini Spiritu usque ad trigesimam attenuationem.

Dosis:—Glob. ij. aut iij. trigesimæ attenuationis.

## ONISCUS ASELLUS (MILLEPEDES.)

Ut tinctura ex his animalibus paretur, eundem modum ut in Coccinellâ sequere.

## ONONIS SPINOSA L.

Sex attenuationes (II).

Folia et radicem Ononidis Spinosæ mensibus Junio et Augusto, floribus nondum apertis, collecta eodem modo, quo Nerium Oleander, para atque attenua ad sextam dilutionem.

## OPIUM.

### (Papaver Somniferum L.)

Triginta attenuationes (X).

Quinquaginta grana Opii in pulverem redacti cum mille Spiritus Vini guttis misce et quotidie agita: lenem cubiculorum nostrorum calorem adhibens per hebdomadem sepone: dein liquorem limpidum a fæcibus defunde.

Hujus guttam unam cum quingentis Spiritus Vini guttis misce. Hoc secundam constituit attenuationem. Dein ad trigesimam dilutionem explica.

N.B. Nunc autem hoc corpus eodem modo, quo antipsorica, tractatur.

Dosis :—Glob. ij. trigesimæ attenuationis.

Duratio:—Aliquot horarum spatio.

Antid.—Tinctura Ipecacuanhæ, Camphora et præcipue Coffeæ infusum forte per os atque anum ingestum, adjunctâ corporis frictione. His, ubi algor, torpor et summa musculorum debilitas supervenerint, Balneum Calidum debet accedere.

## PÆONIA OFFICINALIS L.

Tres attenuationes (I).

Mensibus Martio et Aprili colligenda est.

Succum e radice recens expressum pari Spiritus Vini quantitate misce, et ad tertiam attenuationem dilue.

Dos.—Glob. ij. vel iij. tertiæ attenuationis.

## PARIS QUADRIFOLIA L.

Novem attenuationes (III).

Mensibus Aprili, Maio et Junio colligenda est.

Succum e plantâ, quo tempore florere cœpit, recens expressum cum pari Spiritus Vini quantitate commisce, et ad nonam dilutionem explica.

Dosis :—Glob. ij. nonæ attenuationis.

## PETROLEUM.

(Oleum Petræ.)

Duodeviginti attenuationes (VI).

Petroleum, quod in medicinâ exercendâ adhibetur, debet esse limpidissimum et colore læte flavo tinctum, quippe quo signo

cognoscitur, pinguibus plantarum oleis non esse vitiatum. Necessaria ejus puritas magis etiam apparet, si gutta chartæ scriptoriæ adspersa vel in aëre libero vel calore admoto ita evanescit, ut nulla in chartâ macula remaneat. Duplex Spiritus Vini quantitas huic oleo adfusa, quæ aliquoties cum eo agitari atque deinde ope chartæ bibulæ Spiritu Vini madefactæ ab eo separari debet, olea plantarum ætherea, e. gr. Oleum Terebinthinæ, admixta prodit, cum, Oleo Petræ in chartâ remanente, Spiritus Vini illa secum abripiat.

Guttam ejus cum Saccharo Lactis commixtam terendo ad dilutionem tertiam explica, et deinde ad dilutionem decimam octavam attenua.

Dosis: — Glob. i. vel ij. duodevigesimæ attenuationis.

Duratio :—Ultra quadraginta dies.

Antidotus :—Nux Vomica.

## PETROSELINUM.

(Apium Petroselinum L.)

Succum ex hâc plantâ, quo tempore flo-

rere cœpit, recens expressum cum pari Spiritus Vini quantitate commisce.

Dos.—Glob. ij. vel iij. tincturæ concentratæ.

### PHELLANDRII AQUATICI SEMEN.

(Phellandrium Aquaticum L.)

Sex attenuationes (II).

Hoc semen in Septembri collige.

Misce unam seminis siccati partem cum viginti Spiritus Vini partibus: macera per hebdomada sine calore et cola; dein misce viginti guttas cum octoginta Spiritus Vini guttis. Hoc primam constituit attenuationem: para usque ad sextam attenuationem.

Dos.—Glob. ij. aut iij. sextæ attenuationis.

### PHOSPHORUS.

Triginta attenuationes (X).

Primum Phosphorum cum Saccharo Lactis commisce. Hunc in finem grana nonaginta novem Sacchari Lactis, adfusis quindecim circiter aquæ guttis, in paterâ ope pistilli madefacti in pultem tenacem redige, cui granum Phosphori unum, in duodecim fere frusta dissectum, pistillo humido tun-

dendo potius quam terendo immisce; quod dum fit, massam, quæ ad pistillum adhærescere solet, sæpius absterge. Tertiâ circiter horæ parte præterlapsâ, massam jam pulveri similiorem factam non amplius contunde sed contere. Quæ reliqua sunt, uti etiam insequentes attenuationes, secundum modum antipsoricum confice.

N. B. Præter descriptam rationem hæc altera præposita est. Granum unum Phosphori in parva frusta seca, atque lagenæ ducentis Ætheris Sulphurici purissimi guttis repletæ ac deinde bene obturandæ immitte: loco frigido repone, donec plane solutum sit. Hujus solutionis bis agitatæ guttas duas in lagenâ cum nonaginta octo Spiritus Vini guttis commisce. Hoc secundam constituit attenuationem.

Reliquas attenuationes, uti supra indicatum est, para.

Dosis:—Glob. i., ij. vel iij. trigesimæ attenuationis.

Duratio:—Per quadraginta dies.

Antid.—Camphora, Vinum, Coffea, et Nux Vomica.

## PLATINA. (PLATINA.)

Sex attenuationes (II).

Platinæ chemico artificio perfecte purgatæ grana viginti caloris ope in Aquâ Regiâ, quæ pari Acidi Nitrici et Muriatici quantitate constat, solve. In hanc solutionem, flavo tinctam colore, postquam aquâ adfusâ satis diluta est, bacillum e chalybde confectum et politissimum immitte, quod subito Platinæ crystallis cortice quasi obducitur. Metallum, quod ita comparatur, spongiosum est, cinereum, nullius splendoris, molle atque facili operâ in pulverem conteri potest. Multâ aquâ accurate ablue atque denuo sicca.

Hoc corpus, eodem modo, quo antipsorica, tracta.

Dos.—Glob. i. vel ij. sextæ attenuationis.

Duratio :—Per fere quadraginta dies.

Antid.—Pulsatilla ejus vires compescit.

## PLUMBUM ACETICUM.

## (Saccharum Saturni.)

Duodecim attenuationes (IV).

Ad Plumbum Aceticum parandum, Plumbi

Subcarbonatem in Aceto solve donec fiant crystalli. Ut sit purum, liqua Plumbum Aceticum in Aquâ Destillatâ calidâ, et loco calido sepone donec fiant crystalli: tum liquorem reliquum ad dimidium consume ut iterum prodeant crystalli: dein crystallos in lagenulâ clausâ sepone.

Si Plumbi Nitras adsit, præparatio est albior, magis lucida et minus solubilis quam si pura sit: si super carbones candentes infundatur, sonum dat, et si cum Acido Sulphurico concentrato misceatur, vapores nitrosos emittit. Si non sit bene servatum, fit flavum et minus solubile.

Eundem modum, quo de remediis antipsoricis dictum est, sequere.

Dosis:—Glob. i., ij. vel iij. duodecimæ attenuationis.

Duratio:—Ultra quindecim dies.

Antid.—Opium atque Vis Electrica.

## PLUMBUM METALLICUM.

Triginta attenuationes (X).

Attenuationes Plumbi Metallici sunt anteponendæ Acetati Plumbi.

Tere unum granum cum centum Sacchari Lactis granis per horam unam; repete bis; dein para cum Vini Spiritu usque ad trigesimam attenuationem.

Dosis:—Glob. i. aut ij. trigesimæ attenuationis.

Antid.—Opium, Vis Electrica.

## PRUNUS LAUROCERASUS L.

Sex attenuationes (II).

Mensibus Aprili et Maio colligenda est.

Succum e foliis recentibus expressum, atque pari Spiritus Vini quantitate commixtum, ad sextam usque attenuationem para.

Dosis:—Gutta i. sextæ attenuationis.

Durat.—Magnæ hujus remedii doses per sex vel octo dies efficaces sunt.

Antid.—Coffea, Camphora et Ipecacuanha.

## PRUNUS PADUS L.

Novem attenuationes (III).

Succum e foliis recentibus expressum pari Spiritus Vini quantitate commisce. Hanc mixturam ad dilutionem nonam usque attenua.

Dosis:—Gutta parva nonæ attenuationis.

## PULSATILLA.

### (Anemone Pratensis L.)

Duodecim attenuationes (IV).

Totam plantam, dum florere cœpit, adhibe et succum exprime: dein ad duodecimam attenuationem explica. Interdum necesse est, si corpora valde irritabilia sunt, ut ad trigesimam explicetur.

Dosis :—Glob. i. vel ij. duodecimæ attenuationis in plerisque morbis.

Durat.—A decem, imo ad duodecim dies.

Antid.—Chamomilla, Coffea, Ignatia et Nux Vomica.

## RANUNCULUS BULBOSUS L.

Duodecim attenuationes (IV).

Succum e plantâ mense Maio, quo floret, et quidem e radice et herbâ seorsim exprime, quia illius tubera, nisi Spiritus Vini adfundatur, parvam succi quantitatem largiuntur. Deinde succos tam herbæ quam radicis commixtos, pari Spiritus Vini quantitate additâ, loco obscuro repone, et per tres dies mixturam quotidie aliquoties agita; quo tempore

præterlapso limpidum liquorem, qui fusci est coloris, a fæcibus delapsis separa; dein ad duodecimam attenuationem explica.

Dosis:—Glob. i. vel ij. sextæ attenuationis in plerisque morbis, nonæ vero vel duodecimæ ægrotis, qui valde debiles sunt.

## RANUNCULUS SCELERATUS L.

Triginta attenuationes (X).

Ranunculum Sceleratum eodem modo, quo Bulbosum, tracta et ad trigesimam attenuationem explica.

Dosis:—Glob. ij. nonæ in morbis diuturnis, trigesimæ vero attenuationis in acutis.

## RATANHIA.

(Krameria Triandra Ruiz.)

Tres attenuationes (I).

Macera unam radicis in pulverem redactæ partem cum viginti Spiritus Vini partibus per octo dies et cola: dein misce viginti guttas cum octoginta Spiritus Vini guttis. Hoc primam constituit attenuationem. Para ad tertiam attenuationem.

Dos.—Glob. i. aut ij. tertiæ attenuationis.

N. B. Modo sequenti Dr. Hartmann parat

hoc remedium et usque ad trigesimam attenuationem redigit.

Tere unum granum cum centum Sacchari Lactis granis ter: dein para modo antipsorico usque ad trigesimam attenuationem.

Dosis :—Glob. ij. aut iij. trigesimæ attenuationis.

### RHEUM.

### (Rheum Palmatum L.)

Novem attenuationes (III).

Ex unâ parte radicis in pulverem redactæ, admixtis viginti Spiritus Vini partibus, intra quinque vel sex dies caloris cubiculorum temperiem non excedentis et repetitæ quotidie agitationis ope tincturam extrahe, atque extractam a fæcibus separa.

Dosis :—Glob. i. vel ij. primæ vel tertiæ attenuationis in paucis morbis, nonæ vero in plurimis.

### RHODODENDRUM CHRYSANTHUM L.

Triginta attenuationes (X).

Folia, gemmas et ramos hujus plantæ adhibe, et in pulverem redacta eodem modo, quo Rheum, para.

N. B. Melius autem est eundem modum, quo de antipsoricis, sequi.

Dosis:—Glob. ij. trigesimæ attenuationis in acutis, sed duodecimæ, duodevigesimæ vel vigesimæ quartæ in morbis chronicis.

Duratio:—Majoris dosis efficacitas quinque vel sex hebdomadum spatio.

Antid.—Camphora, Rhus Toxicodendron, Clematis Erecta.

## RHUS.

### (Rhus Radicans sive Toxicodendron.)

Triginta attenuationes (X).

E foliis succum exprime et attenua ad trigesimam dilutionem.

Dosis:—Glob. ij. vel iij. trigesimæ attenuationis in plurimis morbis, raro vero gutta integra; in quibusdam chronicis etiam nonæ vel duodecimæ.

Durat.—Majores doses corpus humanum per sex fere hebdomadas afficiunt.

Antid.—Bryonia, Sulphur, Camphora et Tinctura Coffeæ Crudæ.

## RORELLA.

### (Drosera Rotundifolia L.)

Triginta attenuationes (X).

Succum plantæ primis floribus ornatæ adhibe et ad trigesimam attenuationem explica.

Dosis:—Glob. ij. trigesimæ attenuationis in morbis acutis, nonæ vero vel duodecimæ in chronicis.

Antidotus:—Camphora.

## RUTA GRAVEOLENS L.

Tres attenuationes (I).

Succum ex herbâ hujus plantæ exprime et ad tertiam dilutionem explica.

Dosis:—Glob. ij. tertiæ attenuationis in plerisque morbis, primæ vel secundæ robustis hominibus.

Antidotus:—Camphora.

## SABADILLÆ SEMEN.

(Veratrum Sabadilla Retzii.)

Triginta attenuationes (X).

Unam seminum in pulverem redactorum partem cum viginti Spiritus Vini partibus misce et per hebdomadem sepone: dein ad trigesimam attenuationem explica.

Dosis:—Glob. ij. trigesimæ attenuationis plerumque, duodevigesimæ vel vigesimæ quartæ in morbis chronicis.

Duratio:—Per quatuordecim fere dies.

Antid.—Camphora et Pulsatilla vires ejus compescunt.

## SABINA.

### (Juniperus Sabina L.)

Viginti quatuor attenuationes (VIII).

Succum foliorum recentium cum pari Spiritus Vini quantitate commixtum, ad dilutionem vigesimam quartam usque attenua. Dum folia tenera contunduntur, jam dimidiam Spiritus Vini quantitatem adfunde, ut puls satis tenax obtineatur. Succum ex hac pulte expressum cum duabus partibus Spiritus Vini commixtum, per aliquot dies repone; deinde id, quod clarum a fæcibus decessit, commode defunde. Tum ad attenuationem vigesimam quartam explica.

Dosis :- Glob. ij. sextæ vel nonæ attenuationis in morbis diuturnis, decimæ quintæ vel vigesimæ quartæ in acutis.

Dur.—Nonnullarum hebdomadum spatio.

Antidotus :—Camphora.

## SAMBUCUS NIGRA L.

Succum e foliis et floribus hujus arboris cum pari Spiritus Vini quantitate commisce.

N. B. Liber interior Sambuci Nigræ maximam virtutem habet. Cum Spiritu Vini misce modo consueto et in solis calore repone per aliquot dies.

Dos.—Gutta parva tincturæ concentratæ.

### SASSAFRAS.

### (Laurus Sassafras L.)

Unam partem ligni cortice suo muniti in tenuem pulverem redacti cum viginti Spiritus Vini partibus misce et per sex dies sepone.

Dosis :—Parva gutta hujus tincturæ.

### SASSAPARILLA.

### (Smilax Sassaparilla L.)

Triginta attenuationes (X).

Hoc corpus eodem modo, quo antipsorica, tracta.

Dosis :—Glob. ij. trigesimæ attenuationis.

Durat.—Ultra triginta quinque dies.

### SECALE CORNUTUM.

Triginta attenuationes (X).

Secale Cornutum brevi ante messem colligi debet.

In pulverem redige dum recens et non siccum sit; tere tria grana (in loco unius sicci corporis grani) cum nonaginta novem Sacchari Lactis granis. Hoc primam constituit attenuationem. Repete bis et dein para cum Spiritu Vini usque ad trigesimam attenuationem modo antipsorico.

N. B. Trinks utitur tertiâ attenuatione in morbis chronicis.

Rummel hoc medicamentum administravit in Cholerâ in quartâ attenuatione, sed dubitare debet si vires medicæ satis explicari possint si non ad trigesimam attenuationem.

Dosis:—Glob. ij. aut iij. trigesimæ attenuationis.

Antid.—Solanum Nigrum, et frequens Odor Spiritus Camphoræ.

## SEDUM ACRE L.

Tres attenuationes (I).

Hanc plantam modo succorum recentium para et ad tertiam attenuationem explica.

Dosis:—Gutta parva tertiæ attenuationis.

## SELENIUM METALLICUM.

Triginta attenuationes (X).

Purum metallum non oxidatum adhibe. Modum antipsoricorum granum unum cum Sacchari Lactis nonaginta novem granis ter terendo sequere, et usque ad trigesimam attenuationem cum Spiritu Vini dilue.

Dos.—Gl. i. vel ij. trigesimæ attenuationis.

## SENEGA.

### (Polygala Senega L.)

Duodecim attenuationes (IV).

Hanc radicem eodem modo quo antipsorica para et ad duodecimam attenuationem explica.

Dos.—Glob. ij. nonæ attenuationis in morbis chronicis, in acutis vero duodecimæ.

Duratio:—Si doses magnæ dentur, per tres aut quatuor hebdomadas.

Antid.—Camphora, Arnica, Bryonia, Belladonna.

## SENNA.

### (Senna Alexandrina.)

Sex attenuationes (II).

Unam partem foliorum in pulverem redactorum cum viginti Spiritus Vini partibus

misce et per sex dies sepone: dein ad sextam attenuationem explica.

Dosis:—Glob. ij. tertiæ vel sextæ attenuationis.

Antidotus:—Interdum Chamomilla.

## SEPIA.

### (Succus Sepiæ; Sepia Octopoda.)

Triginta attenuationes (X).

Succus in abdomine Sepiæ Octopodæ vesicâ continetur.

Granum Sepiæ in pulverem redactum cum Saccharo Lactis commixtum, ad dilutionem tertiam explica, atque eodem modo, quo reliqua remedia antipsorica tracta ad trigesimam dilutionem.

Dosis:—Glob. i., ij., iij. vel iv. trigesimæ attenuationis.

Duratio:—Ad quadraginta, imo ad quinquaginta dies.

Antid.—Plantarum Acida, Spiritus Ætheris Nitrici, vel melius solutio Antimonii Crudi vel Tartari Emetici ad dilutionem sextam explicata et naribus admota. Sanguine Sepiæ usu nimis concitato odores Aconiti commendandi sunt.

## SERPENTARIA.

### (Aristolochia Serpentaria L.)

Duodecim attenuationes (IV).

